



# Dissertatio juridica inauguralis de ratihabitione et retractatione

<https://hdl.handle.net/1874/291132>

9

DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
RATI HABITIONE ET RE-  
TRACTATIONE.

Q U A M  
DUCE ET AUSPICE DEO T. O. M.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

JOANNIS DAVIDIS HAHN,

Philos. & Med. Doct. Philosophiae, Physices Experimen-  
talium & Astronomiae Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, atque  
Nobilissimae FACULTATIS JURIDICAE decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &  
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

*Publico Examini submittit,*

GISBERTUS REITZ, TRAJECTINUS.

*die Veneris, qui erit 13. Junii, H. L. Q. S.*



TRAJECTI AD RHENUM,  
Ex Officina JOANNIS BROEDELET,  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI. MDCCCLV.

DISSERTATIO IURIDICA  
IN URGENTIA

# REAGATATION AT R.A.T.H.A.B.I.T.O.N.E

JOHANNES DAVIDIS HAHN,  
Pupil of Mr. Wm. Dogg, Juniperbottom, Halifax, Pa., and  
John C. Hahn, Philadelphia.

PATRIÆ,  
PARENTIBUS,  
CONSANGUINEIS, ADFINIBUS,  
PRÆCEPTORIBUS

ATQUE

AMICIS

DE SE SUISQUE STUDIIS BENE MERITIS  
HIS HI QUALESCUMQUE CONANTUR  
TUS SACRI SUNTO.

PATRIA  
PARENTIBUS  
CONVINCUNIES ADINBVS  
PRÆCEPTORIBUS  
AETATE  
AMIGIS

DE SE SUGESTA STUDIIS EENAE MERITI  
TIS HIC GALLERSCUMQUE CONV  
TUS SACRI SINTO.



DISSERTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
RATIHABITIONE ET RE-  
TRACTATIONE.

C A P U T I.

*Ratihabitionis Etymon & Definitionem exhibet.*

§. I.

**E**n tandem, Benevole Lector, Dissertatio Exordi-  
nem, qua jam ante aliquod tempus ad gra- um.  
dum Doctoralem aspirare destinaveram;  
sed quæ præter opinionem me tenuit diu-  
tius, quam cogitaveram; nec mirum; mo-  
dici enim in jure progressus & dissertationes  
componendi insolentia facile efficiebant, ut lente admo-  
dum hoc opus ad finem perducerem: non tamen tædet  
laboris; melius quippe & glorioius duxi proprias explo-  
rare vires, quam cum magna eorum, qui laurum ambi-  
unt Doctoralem, caterva, vel omnia ad verbum ex com-  
mentariis Interpretum describere, atque adeo plagii lit-  
terarii quam maxime reum fieri, aut prece vel pretio  
alium sollicitare, qui nostro id loco peragat. Quid  
vero circa hæc præstiterim, ipse B. Lector facile dijudica-  
re poteris. Nec displicebit, credo, materia, utpote (in  
A his

## DISSERTATIO JURIDICA

his saltem terris) minime decantata: licet ex *Lipenio & Struvio* discam, quasdam in Germania de hac materia in lucem produisse dissertationes; quarum tamen videndarum & consulendarum copia non fuit. Sed potius rem ipsam adgrediamur, &, ut ordine procedamus, initium ab Etymo faciamus.

## I I.

*Etymon.* Vox *Ratibabitio* secundum *Vossium* l. 3. de *wit. Serm. e.* 41. invenitur tantum apud varios posterioris ævi scriptores, in quibus est *Radevicus Frisingensis* de *geslis Friderici Enobarbi* l. 3. c. 24. Falluntur tamen, qui id quod Tulliano ævo ac proximo non legimus, barbaris irrepsisse temporibus arbitrantur, quippe hanc vocem agnoscit *Pomponius* in l. 40. §. 3. ff. *de procurat.* qui floruit sub Hadriano vel Antoninis, adeoque Epochæ Christianæ sæculo secundo, v. *Gravin. de ort. & progr. Jur. Civ.* §. 91. & *Mascov. de sect. Sabin. & Procul. c. 8.* §. 4. p. 129. Agnoscit etiam *Marcellus* in l. 17. ff. *rem. rat. hab. Scavola* in l. 4. ff. *cod. Africanus* in l. 24. ff. *cod.* qui ejusdem fere ætatis ac Pomponius fuere, uti v. ap. *Gravin. & Mascov.* Adhibent hanc vocem & alii eius ætatis JCti; sed nimis longum foret eos omnes hic exhibere; hæc enim sufficere puto exempla ad probandum, *Ratibabitonis* vocem non adeo esse barbaram, licet apud prioris ævi scriptores eam non inveniam: Quidquid sit, hoc certum, in jure satis eam esse cognitam. Derivatur autem ex *ratum babeo* i. e. adprobo, confirmo; ita ap. *Cit. pro Rose. Com. c. 1.* quis *hoc frater fratri, quis parens filio tribuit, ut quodcumque retulisset, id ratum haberet.* Plura ex Cicerone exempla congregavit *Nizolius*, sic & ap. *Suet. Galb. c. 16.* aliosque, quod satis commonstrant Lexica. Eadem significatio in jure obtinet, *Ulp.* in l. 12. §. 1. ff. *rat. rem hab.* *Rem haberi ratam, hoc est comprobare agnoscereque, quod actum est a falso procuratore;*

## INAUGURALIS.

3

tore; & sic in jure ubique, uti ex sequentibus satis adparebit. Dupli enim sensu venit participium *ratus*, vel sumitur active, significatque *opinans*, *existimans*, vel passi-  
ve (quomodo in hoc Etymo sumi debet) significatque tunc *firmum*, *constans*, *valens*, sic ap. *Isidor. Orig. L. 5. c. 24.* Qui pollicetur, dicit: *ratum esse profiteor, hoc est firmum atque perpetuum.* Idem affirmat *Fest. in V. ratus sum.* idque abunde docet *Gesner. in Thes. b. v.* Addamus exempla ex jure, ita in l. 18. ff. de *recept.* qui arb. re-cep. Id demum, quod major pars omnium *judicavit*, *ratum est*; & in §. 1. *J. de milit. test.* Id *privilegium*, quod mi-*litantibus datum est*, ut quoquo modo facta ab his *testamen-*  
*ta rata sint*; sic & in §. 2. *J. quib. non est perm. fac. test.*  
l. 3. §. 1. ff. de *Donat. int. V. & V. l. 31. §. ult. ff. de*  
*Donat. & pa*n*im.* Hodie autem loco *Ratihabitionis & ra-*  
*tum habere* dici solet *Ratificatio & Ratificare*, quod tamen plane barbarum censeo cum *Voss. L. 3. de vit. Serm. c. 41.* Rectius autem pro ratificare dicetur *ratum facere*, quod & habetur in *leg. 11. C. de solut. & lib. & l. 20. C. fam. etc.*

## III.

Viso Etymo, ad definitionem transeo, in qua danda *Definitio*.  
summa opus erit cautione, ne Criticorum captionibus simus obnoxii, præsertim cum ipsi JCTi agnoscant, *omnem* in *Jure Civili definitionem esse periculosam*; parum enim esse, ut non subverti possit, in l. 202. ff. de *R. J. (a)* & nusquam, vel si usquam, non accurate Ratihabitionem definitam invenio; *Cujacius* quidem in *Parat. ff. ad Tit. rem rat. hab. ex leg. 12. §. 1. eod.* sic definit: *Ratihabitio est ap-*  
*probatio ejus, quod cum eo gestum est, qui egit procuratorio-*  
*nomine, & recte pro subjecta materia; scopus enim Titu-*  
*li ff. ratam rem haberi est, ut agat de stipulatione rem ra-*

A 2

tam

---

(a) Quam legem non male mihi videtur explicasse E.  
*Bronchorst in Comment. ad T. de R. J. ad d. l.*

## 4 DISSERTATIO JURIDICA

tam haberi, & de tali ratihabitione, qua id, quod procuratorio nomine & nostra contemplatione actum est, ratum habemus; sed ea definitio hoc loco nimis est angusta; namque universalis danda est, quæ toti convenientat materiæ, quum Cujacianam toti non convenire, satis manifestum sit; Quid enim, an pertinet ad ratihabitio-nem, qua pater adprobat nuptias filii sine consensu suo ini-tas, an filius in iis egit procuratorio nomine? An etiam pertinet ad eam, qua minor major factus ratum habet, quod ipse fecit dum minor erat? hoc nemo sanus dixe-rit; neque enim adprobat, quod egit alius, sed quod ipse, neque tunc procuratorio nomine aliquid actum. Aliam itaque substituamus definitionem, nempe: *Ratihabitio est adprobatio, qua quis confirmat ea, quæ a semet vel ab alio gesta sunt. vel potius & plenius: Est adprobatio superveniens, qua vel Lex vel homo factum aliquod invalidum con-firmat eo cum effectu, ut ab initio illud validum censeatur.* Quod autem dico esse adprobationem, ex eo apparet ge-nus & cum aliis rebus convenientia; qui enim V. Gr. mandat, ille adprobat ea, quæ secundum mandatum ge-sturus est alter, inque eo convenit *Ratihabitio* cum man-dato; Ex verbis sequentibus *superveniens*, *qua vel lex vel homo &c.* adparet differentia specifica, inque eo dif-fert a mandato; mandatum enim antecedit, & in futuris, *Ratihabitio* subsequitur, & in præteritis locum habet. Re-quiritis itaque suis hanc definitionem satisfacere existimo; Excutiamus breviter singula ejus membra: *est adprobatio superveniens*; ratum habere enim esse adprobare, quæ a-cta sunt, satis suggerunt verba d. legis 12. §. 1. ff. *rat. rem hab.* supra jam allegata; *Qua Lex vel homo*, illa namque ad-probatio vel a lege fit vel ab homine, uti cap. 2. §. 2. videb. *Factum aliquod*, quod duplex ratione hominis con-siderari debet, quippe ratihabitio vel interponitur cir-ca ea, quæ fecit alius, veluti si quis ratum habet, quod egit negotiorum gestor, l. 9. ff. l. 9. C. de neg. gest. vel filius. vel servus, l. 6. §. 1. & 2 ff. de acq. vel. om. her. l.

## INAUGURALIS.

3

65. pr. ff. ad Sct. Trebel. vel interponitur circa ea, quæ facit ipse ratum habens: exemplum ponamus in minore, qui major factus ea potest habere rata, quæ in minore actate fecit, l. 3. §. 1. ff. de min. Toto Tit. Cod. simajor fact. rat. bab. (a) *Invalidum*; si enim res ab initio valuit & firmitatem suam habuit, non indiget ratihabitio-  
ne, uti videb. inf. cap. 3. pr. *Confirmat eo cum effectu &c.* qualem hujus adprobationis esse vim probabimus inf. cap. 8. §. 1.

---

## C A P U T I I.

*De variis Ratihabitionis divisionibus, & requisitis.*

### §. I.

**P**rima (ut ab antiquitate incipiamus) quæ se offert di-  
visio est, quod *Ratihabito sit vel juris vel facti*; Ta- I. Divi-  
lem olim substituisse in jure divisionem probatu facile est, quod  
ex l. 25 inf. C. de Dom. int. V. & U. quæ de ratihabitione sit juris  
agit, ubi Justinianus his utitur verbis: *Nec in ceterum vel facti.*  
*subtilem divisionem facti vel juris introduci posse.* Idem  
innuit Imperator in l. ult. pr. C. ad Sct. Maced. dum ait:  
*Veterum ambiguitatem decidentes sancimus.* In quo vero  
constiterit hæc divisio, & quid juris circa eam obtinuerit,  
non ita planum est. Videtur ea de re dissensio fuisse inter  
Iuctorum sectas, id saltem conjicere licet ex l. 1. §. 14.  
ff. de vi & vi arm. ubi Ulpianus sic ait: *sed & si quod ali-*  
*us dejicit ratum habuero, sunt, qui putent secundum Sabi-*  
*num & Cassum, qui ratihabitionem mandato comparant,*

A 3

me

(a) Hic etiam observandum, & alio sensu sed rarius su-  
mi *Ratihabitionem*, nempe pro *satisfactione de rato*, uti in l. ult.  
C. de pact. conv. tam sup. dot. & l. 1. C. de procur. ibique *Gloss. lit.*  
b. sed hæc significatio hujus loci non est.

## DISSERTATIO JURIDICA

*me videri dejecisse, interdictoque isto teneri: & hoc verum est.* Colligit inde & ex aliis juris locis conjicit Merillius *Exposit. in 50. Decis. Justin. ad l. uit. C. ad SCt. Maced.* Sabinianos in ea fuisse sententia, ut ratihabitionem in iis potissimum, quæ facti sunt, mandato compararent, Proculejanos vero videri res facti a rebus juris distinxisse, & subtilem illam divisionem (uti cam appellat *Justin. in d. l. 25. C. de don. int. V. & V.*) juris & facti introduxisse, forteque admisisse, ratihabitionem in rebus facti tantum retrotrahi & mandato comparari, in rebus juris non item; in casu itaque *d. legis ult. C. ad SCt. Maced.* Sabinianos rem facti, Proculejanos rem juris esse, putasse. Sed ut verum fatetur, hæc meritis nituntur conjecturis, nihil ea de re certi affirmare ausim; Verba quidem *d. legis 1. §. 14. ff. de vi & vi arm.* innuunt dissensum quandam JCtorum, sed non definiunt, Sabinianos putasse, res facti per ratihabitionem potissimum retro confirmari potuisse, Proculejanos vero introduxisse hanc subtilem divisionem. Id tamen certius, omissis JCtorum sectis, affirmari puto, ante Justinianum in rebus facti facilius, quam in rebus juris JCtos admisisse ratihabitionem. Res autem facti secundum *Merill. variant. ex Cujac. c. 39.* sunt, in quibus merum versatur factum, uti possessio, venditio, solutio: res juris sunt, in quibus jus magis versatur quam factum, ut hereditatis aditio, aliquique actus solemnies seu legitimi; In rebus facti locum habuisse ratihabitionem multis probari potest exemplis, uti in maleficis, *l. 1. §. 14. l. 3. §. 10. ff. de vi & vi arm. l. 152. §. 2. ff. de R. f. in pignore, l. 16. §. 1. ff. de pign. & hyp. Precario, l. 13. ff. de precar. solutione, l. 12. §. ult. ff. de solut. l. 49. eod. venditione, l. 3. C. de rei vind. l. 4. C. de usucap. pro emt.* (quæ facti esse constat ex *l. 7. §. ult. ff. de Curat. fur.*) aliisque. In rebus juris vero non adeo locum habuisse ratihabitionem, ex eo patet, quod eam non admiserint in aditione hereditatis, *l. 25. §. 4. de acq. vel em. her. l. 65. pr. ff. ad SCt. Treb.* nec in tutoris auctoritate,

ritate, §. 2. f. de auct. tut. l. 9. §. pœn. ff. cod. quæ juris esse, ex eo patet, quod pro forma juris in his consensu præcedere debeat. Miror autem, Merillium variant ex Cujac. l. 1. c. 39. f. dicere, non tamen ex jure probare, bonorum possessionem ratihabitione quidem confirmari, non vero ita, ut retrotrahatur, sed ut eo tempore petita videatur, quo ratihabitio est interposita, quum ex l. 65. pr. ff. ad SCt. Treb. l. ult. ff. ult. ff. de bon. poss. & l. pœn. ff. rat. rem hab. adpareat eam retrotrahi. Quod vero diximus, res facti ante Justinianum facilius per ratihabitionem retro confirmari potuisse, ei non obstat Lex. 7. ff. de jure Cod. agi enim ibi non de ratihabitione, sed de codicillorum confirmatione, recte observat Merill. Obs. l. 2. c. 38. & Exposit. in 50 Decis. Iust. ad leg. ult. C. ad SCt. Maced. & Variant. ex Cujac. c. 39. in quo cap. 39. Cujacium accusat, quod sibi non constiterit, quasi in Recit. ad T. C. ad SCt. Maced. docuerit, res facti facilius, quam res juris per ratihabitionem confirmari potuisse, quum in Parat. ad Tit. Cod. de Donat. int. V. & U. contra probare voluerit, ea, quæ juris sunt, retro per ratihabitionem confirmari potuisse, non ea, quæ sunt facti, quam ejus opinionem esse constat etiam ex Tract. 5. ad Afric. ad l. pœn. ff. rat. rem hab. quum dicit: Plerique dicebant, in iis, quæ sunt juris, ratihabitionem retrotrahi, in iis quæ sunt facti, non item. Sed, quod Merillius ex d. l. 7. elicit, in iis, quæ sunt juris, tempus codicillorum referri ad tempus confirmationis, & quod codicillis scribitur, perinde esse, ac si testamento scriptum esset, quo codicilli confirmantur, at in iis, quæ sunt facti, spectari tempus codicillorum, non tempus confirmationis, seu testamenti, in eo Viro Docto non assentior, recteque, quamvis nimis rigide, Osum Aureum Dispunct. 39. de variant. Cujac. interpret. tom. 3. Thes. Otton. p. 785. eum hoc nomine reprehendisse arbitror, & melius d. legem. 7. sequenti modo explicasse: „Marciani, „mens eit exceptionem dare regulæ illi, quæ dictat, „Quacunque in codicillis scribuntur, perinde haberri, ac „si

## DISSERTATIO JURIDICA

„ si in testamento scripta essent, l. 2. §. 2. ff. de jure Codis.  
 „ & ostendere, quædam, ut loquitur, non referri ad con-  
 „ firmationem codicillorum, hoc est, quasdam dispositio-  
 „ nes codicillares non referri ad testamenta, licet in ip-  
 „ sis testamentis confirmantur codicilli. Hoc demon-  
 „ strat in causa juris & in causa facti: primum exemplum  
 „ ponit in eo, qui testamentum scripscerit in urbe, po-  
 „ stea captus ab hostibus codicillos fecerit; Hos codi-  
 „ cillos non valere *Marcianus* ait: nec movere, quod  
 „ jam ante confirmati sint; quædam enim non perti-  
 „ nent ad confirmationem codicillorum. Hoc exem-  
 „ plum est in causa juris, ut & quod generaliter addit  
 „ *Marcianus*, idem est, si aliquo modo jus testamenti faci-  
 „ endi testator deserit habere: puta si furiosus factus sit,  
 „ constat enim furiosi codicillos non valere, d. l. 2. §. 3.  
 „ ff. de jure Cod. Nec ad rem pertinet, quod in testa-  
 „ mento ante a sanæ mentis homine facto confirmatio  
 „ codicillorum habeatur. In causa etiam facti hoc com-  
 „ probat hisce verbis: *Præterea in illis, quæ non juris,*  
 „ *sed facti sunt, non est perinde habendum, quod codicillis,*  
 „ *scribitur &c.* & subjicit exempla causarum facti, pri-  
 „ mum de eo, qui ita legavit in codicillis, *vestem quæ*  
 „ *mea est*, alterum de eo, qui etiam in codicillis lega-  
 „ vit Sejo sub conditione, *si Titius vivit, vel si tot anno-*  
 „ *rum est*, puta septuaginta; hæc exempla docet *Marci-*  
 „ *anus* non referenda ad testamentum, sive ad tempus  
 „ testamenti, i. e. spectandum esse tempus codicillorum,  
 „ an eo tempore is, qui codicilos fecit, vestem habe-  
 „ ret, & an eodem tempore Titius in vivis esset, vel  
 „ 70 annorum esset; alias non deberi legatum: scili-  
 „ cet, quod tam in causis facti quam in causis juris quæ-  
 „ dam non referantur ad testamentum, quamvis ex co-  
 „ vim omnem sumant codicilli." Sed fatis de hac le-  
 „ ge, quam pleniore indigere explicatione existimavi,  
 „ quum, uti jam attigimus, *Magnus Cujacius in Parat. ad*  
 „ *Tit. Cod. de don. int. V. & U.* ex ea probare velit, ea, quæ  
 „ juris

## INAUGURALIS.

9

juris sunt, retro per ratihabitionem confirmari potuisse, non ea quæ sunt facti. Utrum vero Cujacius aliud iterum docuerit in Recitt. ad T. C. ad Sct. Maced. sibiique contradixerit, ei supersedeo, & cuique dijudicandum relinquo, quum scopus ea diligentius hic inquirere non finat. Cujacium hoc nomine defendere conatur *Osius Aurelius d. l.* & vehementer in Merillium invehitur, eumque falsi accusat, quasi Cujacio tribuat, quod non scripsit. In eo tamen consentit *Merillio Aurelius*, quod *ibidem inf.* dicat, rem facti facilius per ratihabitionem confirmari potuisse, quam rem juris. Mittamus quoque totam hanc distinctionem inter res juris & facti, quum Justinianus eam (quod ad ratihabitionem nempe) abrogaverit, & tam in rebus juris, quam in rebus facti ratihabitionem locum habituram & retro confirmaturam ea quæ facta sunt, voluerit in l. 25. C. de don. int. V. & V. idemque repetierit postea in l. ult. pr. C. ad Sct. Maced. Id vero miror, quod *Mastovius*, qui ex professo in libro singulari *de sectis Sabinianorum & Proculajanorum corrumque dissensionibus* egit, nihil de hac distinctione attigerit.

## II.

Secunda, quæ se offert, divisio est, quod *Ratihabitio II. Divisio vel hominis vel legis*, quam divisionem invenio apud *suo*, quod *Menochium in Tract. de recup. poss. Rem. 15. Ratihabitio fit hominis est*, quum quisque privatus consensu suo *comnis vel probat & agnoscit id*, quod ipse vel alias egit, *Ratihabitio legis est*, quæ legis potestate inducitur, quaque lex factum aliquod invalidum ita adprobat & confirmat, ut ab initio valuisse censeatur, vel singit & præsumit aliquem habuisse ratum, qui revera non habuit ratum. Illa vero, quæ *hominis est*, per se satis intelligitur; ad eam, quæ *legis est*, *Menochius d. l.* refert temporis lapsum, quum minor major factus intra quadriennium non petit restitutionem in integrum, lex ratum habet, quod

B

in

## DISSERTATIO JURIDICA

in minore ejus aetate gestum est, neque sinit amplius peti restitutionem in integrum, *l. ult. C. de temp. in int. rest.* vel si quid alienatum obligatum est sine decreto, intra quinquennium, vel si quid donatum, decennium inter praesentes, vicennium inter absentes, *l. ult. C. si maj. fact. alien. adde Cujac. ad Pauli sent. l. 1. Tit. de minoribus §. 3.*

Ad eamdem secundo loco referendam puto, quod habetur in *l. ult ff. de bon. poss.* si nimurum alicui petita est bonorum possessio, isque furere coepit, Lex ratam habet hanc petitionem, & rem habet eo loco, ac si furiosus ille ad adprobandum habilis fuisset & adprobasset. Hanc ratihabitionem legis potestate induci, nemo non videt; furiosus enim ratum habere nequit, cum in eo deficiat consensus, adeoque adprobandi facultas; necesse itaque est, hanc ratihabitionem esse legis; Idque utilitatis causa introductum, ne furiosus ille heredi suo nihil relinquat, uti ait *Cujac. Tract. 5. ad Afric. ad l. pen. ff. rat. rem hab. (a)*

Ad hanc quoque referto, quod Lex ratam habeat mortis causa donationem inter virum & uxorem factam, quæ nihil operatur, dum vivit donator, *l. 11. pr. ff. de don. int. V. & U.* sed eo mortuo, Lex eam ratam habet, *l. 13. ff. §. 1. de Don. int. V. & U.* & validam efficit ex eo tempore, quo facta donatio est, *l. 40. ff. de mort. caus. don.*

Huc denique referto id, quod generaliter de donationibus inter virum & uxorem, vel inter parentes & liberos sancit *Justinianus in l. 25. C. de don. int. V. & U. Donatio*

(a) Neque hoc ita alienum, ut furioso adscribatur consensus; id enim similiter fit in filia furiosa, cuius nomine pater de dote experitur; nam videtur pater ex ejus voluntate agere, quia merito creditur consentire, quum per dementiam contradicere non potest, uti est in *l. 2. §. 2. ff. solut. matrim.*

tio nempe inter conjuges facta non valet, *I. I. 2. & 3. ff.*  
*de don. int. V. & U.* eaque ipso jure nulla est, uti dicitur  
in *d. I. 3. §. 10.* similiter ea, quæ sit a parente in liberos  
*I. I. §. 1. ff. pro donato. d. I. 25. C.* Attramen Lex ratas  
habet tales donationes inter virum & uxorem vel a pa-  
rentibus in liberos collatas, idque ita, ut ab initio re-  
ete factæ videantur, si usque ad mortem in eadem per-  
severaverit voluntate donator, modo donatio non ex-  
cedat legitimam quantitatem, vel si eam excedat, actis  
fuerit insinuata, *d. I. 25. C. Nov. 162. c. I. §. 1. & 2.*  
Idem obtinet, si specialiter eam confirmavit in suprema  
voluntate donator vel donatrix, *d. I. 25.*

## III.

Tertio *Ratibabitio* dividi potest, quod sit *expressa* vel III. *Di-*  
*tacita*; *Expressa* est, quæ verbis expressis interponitur, *vizo in*  
*Tacita*, quæ ex actis colligitur, cum quis aliquid agit, *expressam*  
ex quo animus ratum habendi adparet. *Expressam quis- & taci-*  
que facile intelligit; de tacita paulo prolixius agemus, *tam.*  
quum in ea controversiae quædam occurrant. Esse eam  
in iure cognitam, patet ex *I. 5. ff. rat. rem hab. ubi sic*  
*J. C. t. Non tantum verbis ratum haberi posse, sed etiam*  
*actu*; idque multis ex jure probari potest exemplis. Pri-  
mum exemplum ponamus in patre, qui si solvere cœ-  
pit, quod filius. ejus sumvit mutuum, ratum habere fi-  
lii contractum intelligitur, *I. 7. §. 15. de S. C. t. Maced. (2.)*  
in filio. qui sumvit pecuniani mutuam, qui, si solverit  
partem debiti pater. factus, ratum contractum habere  
intelligitur, *arg. d. I. 7. §. 16. (a) Addamus (3.) si Titii*

B 2

V. Gr.

(a) Licet alii dicant. si pater. factus partem solverit, non  
in totum cessare S. C. t. Macedonianum, adeoque eum  
non in totum probare & agnoscere debitum, sed tantum  
ratione partis solutæ, & verba legis 7. §. ab. sic explicit,

cessat

## DISSERTATIO JURIDICA

V. Gr. res sine mandato ab alio distracta est , Titius autem evicta re, vel ob præcedens vitium conventus satisfecerit emtori, ratum habere contractum Titius per hujusmodi factum intelligitur, l. 9. C. de Cond. indeb. adeoque dominus, solvendo ex contractu falsi procuratoris five gestoris sine mandato, ratum videtur habere contractum. (4) si dominus paterve ex contractu servi vel filii agit, ratum habere contractum intelliguntur , arg. l. 9. pr. ff. de compens. & l. 57. pr. ff. de Ædil. Ed. hocque inde adparet, quod tunc in solidum, non de peculio duntaxat, conveniri possint. Idem plenius probari potest ex l. 66. ff. de fidej. & mand. ubi sic Paulus : si servus alienus pro Titio fidejussit & solvit, liberatur Titius, si dominus mandati contra eum agere instituit; nam qui mandati agit, ratam habere solutionem videtur. (a) Unde generaliter colligunt Doctores : Qui ex contractu alterius agit, videtur cum habere ratum, uti v. ap. Brunnem. ad d. l.

66.

---

cessabit SCium, i. e. solutum repetere non potest; Sed haec verba non puto omnia referri posse ad partem solutam; nam ut solutum repetere nequeat, non opus est, ut cesseret SCium Maced. soluti enim nulla repetitio est, l. 9. §. pen. & ult. ff. cod. quum non obstante SCto maneat obligatio naturalis, ideoque verba d. l. 7. §. ult. sic intelligi debent: Cessabit SCium ratione partis non soluta, nec solutum repetere potest; idque confirmat lex 9. pr. cod. si illico conjungatur cum l. 7. §. ult. cum qua cohæsisse videtur, quia ex eodem Ulpiani libro est, cuius definitionem Ulpianus opponit præcedenti per particulam sed, ideoque significat, definitionem aliam esse in l. 9.

(a) Necessaria autem hic erat ratihabitio, ut per eam fidejussionem & solutionem liberaretur Titius; quia servus fidejussionis nomine obligari non potest, l. 20. ff. cod. nisi in rem domini aut ob rem peculiarem fidejusserit, l. 47. §. 2. ff. de pecul. l. 3. §. 5. & 6. cod.

66. Neque his obstare puto *legem 20. ff. eod.* in qua do-  
cetur, dominum, qui ex fidejussione servi solvit, repe-  
tere posse pecuniam solutam ab eo, cui numerata est;  
Nonne enim dominus videtur ratam habere servi fide-  
jussionem, quum ex ea solvit, æque ac pater, qui ex  
contractu filii solvens ratum contractum habere intelligi-  
tur, uti paullo ante n. 1. vidimus? Sed primo animadver-  
tendum, doceri in *d. l. 20.* dominum quidem solvere,  
sed non agere ex contractu servi, uti erat in *d. l. 66.* secun-  
do ideo in *l. 20.* repetitionem domino dari, quia domi-  
nus puraverat, servum fidejussisse ex causa peculiari,  
(quod facere poterat) cum ex causa dominica i. e. quasi  
domini jussu fidejussicerat, quod non poterat, *l. 19. eod.*  
*d. l. 20.* ibique *Accurs.* atque ita hanc *legem 20.* intelli-  
debere, inde adparet, quod in ea doceatur, idco repeti-  
tionem domino dari, quod servus fidejussionis nomine  
obligari non possit, quæ ratio falsa esset, si servus ex  
peculiari causa fidejussisset; nam ex ea fidejubere potest,  
*l. 3. §. 5. & 6. l. 47. §. 1. ff. de pecul.* Si vero filiusf. ita  
fidejussisset, & pater solvisset, puto patrem non posse  
repetere, quod solvit, quum filiif. & servi causa distin-  
cta sit in casu fidejussionis, uti dicitur in *l. 3. §. 9. ff de*  
*pecul.* servo enim fidejubente extra causam peculii vel rem  
domini, non obligatur dominus de peculio, *l. 3. §. 5.*  
*& 6. ff. eod.* filio autem fidejubente ex quavis causa, sem-  
per obligatur pater de peculio, *d l. 3. §. 9. (5)* Si is, cu-  
jus res a debitore aliquo pignori data est, pro debitore  
illo fidejubet, tacite mandat, res suas esse obligatas, a-  
deoque pignus illud ratum habet, *l. 5. §. ult. ff. in quib.*  
*cus. pign. vel hyp. tac modo sciverit fidejubens res suas*  
esse pignori datas, *Brunnem. ad d. l. 5. & sic regulariter*  
obtinere puto; qui enim fidejubet, consentit in contra-  
ctum, *l. 11. C. de evict.* Attamen exceptio est in domi-  
no, qui, si servus sine jussu ejus contraxit, pro eo post-  
modum fidejubens non videtur ratum habere contra-  
ctum sine voluntate sua initum, *l. 1. §. 5. ff. quod jussu.*

## DISSERTATIO JURIDICA.

Licet enim tacite adprobet, quod servus egerat, non tamen erit hæc fidejussio pro ratihabitione habenda, neque dominus conveniri poterit actione quod iussu, idque ideo, quia tum non ut dominus sed ut extraneus intervenit, & quia aliud est jubere, aliud fidejubere, uti dicitur in *d. l. 1. §. 5.* (a) Aliud juris obtinet in patre, cuius filiusf. contraxit mutuum; si enim patris voluntate intercesserint fidejussores, totum filii contractum videtur ratum habere, *l. 9. §. 3. in f. ff. ad Sct. Maced.* parum autem referre puto, utrum patris voluntate intercesserint fidejussores, an ipse fidejusserit, *v. l. 1. §. 9. post pr. C. de caduc. toll.* adeoque hic diversa iterum causa est patris & domini, *v. A. Fab. Ration. ad l. 9. §. 3. ff ad Sct. Maced. lit. a.* (6.) si eam litem, quam procurator falsus inchoavit, dominus persequitur, vel a sententia adpellat, dominus ratum habere intelligitur, quod egit falsus procurator, *l. 3. §. 1. ff. rat. rem hab. l. 2. C. de filiisf.* & quemadm pro his *l. 5. ff. rat. rem hab.* idque inde adparet, quod eo casu stipulatio de rato contra procuratorem falsum non committatur, quæ committeretur, si dominus ratum non haberet, *l. 12. §. ult. ff. rat. rem hab.* (7.) Minor emancipatus bonorum possessionem contra tabulas præscriptione temporis amisit, vel eam repudiavit, potest adhuc in integrum restitucionem petere, sed si major factus legatum petit ex eo testamento, in quo præteritus erat, sibi relictum, ratam habere omissionem vel repudiationem suam & liti renunciasse intelligitur, *l. 30. ff de minor.* Item si contractum in minorenitate initum implet major factus per traditionem, ratum illum habere creditur, *l. 3. §. 1. ff. de*

---

(a) Quisque facile percipit, hæc intelligenda esse de fidejussione domini post contractum servi interposita; si enim ea præcesserit, qualis casus est in *d. l. 1. §. 1. quod iussu.* aliud juris erit.

de minor. arg. l. 7. §. 1. ff. de lib. caus. & l. 7. §. ult. ff ad SCI. Maced. Certe enim hoc modo re ipsa comprobantur, quæ erant gesta: nihil autem refert, utrum quis verbis an actu ratum habeat, l. 5. ff. rat. rem hab. Attamen his obstat eadem Lex 3. §. 2. ff de minor. ubi docetur, minorem 25 annis, qui paternæ hereditati se miscuerat, majorque factus aliquid exegerat a debitoribus paternis, non videri tacite comprobasse per id additionem suam, sed contra eam adhuc posse in integrum restitui, Cujacius in Comment. ad Tit. de min. add d. l. 3. §. 1. & cum eo Gothofr. in not. ad d. l. 3. §. 2. Voet ad Tit. de minor. §. 44. Jac. Menoch. de recip. poss. Remed. 15. n. 126. & seqq. & A. Faber Ration. add d. l. 3. §. 2. recte quidem hæc ita conciliant: distinctionem hic esse adhibendam: vel enim omnino perfecta res fuit ante legitimam ætatem, vel adhuc imperfecta seu inchoata; si omnino perfecta res fuit, & actum aliquid fuerit in consequentiam ejus rei post impletam legitimam ætatem, id pro tacita ratificatione non esse habendum, hucque referunt, quod dicitur in d. §. 2. secus si res fuerit imperfecta seu inchoata in minore ætate. Non male tamen hic addi posset, quod ajunt Irnerius add d. l. 3. §. 2. Brunnem. ad d. l. & ad l. 1. & 2. C. si maj. fact. rat. hab. n. 7. Noodt ad d. l. & Zoisius ad Tit. de minor. n. 24. ideo diversum jus obtinere in d. §. 2. quia minor debita exigendo non necessario videatur adprobare additionem, sed potius id secis animo bene administrandi hereditatem, ne illa negligentia ei imputetur, debitoribus postea non solvendo factis. Quod vero Voet d. l. ex distinctione paullo ante adhibita concludit, non esse tacitam ratificationem, si minor major factus pretium exigat, aut rem tradat ex emtione, quæ inita erat durante cura, in eo Viro Consultissimo non assentior, neque illud satis ex distinctione illa adparet; in ea quandoquidem requiritur, ut res omnino fuerit perfecta ante impletam majorem ætatem, non autem dici potest, venditionem in minore ætate omnino fuisse perfectam, quam diu pretium non est solutum, idque inde patet,

tet, quod res venditæ, etianisi traditæ sint, non aliter emtori acquirantur, quam si pretium venditori fuerit solutum, vel alio modo ei satisfactum, §. 41. *J. de Rer. Div.* Ematio quidem dicitur perfecta, simulac de merce & pretio convenit, sed nondum est plene perfecta; requiritur enim adhuc traditio & pretii solutio, quo casu consummata i. e. plene perfecta dici solet. (8) Et ultimo addo, si quis metu coactus aliquid promisit, dein per intervallum temporis libere solvit, ea solutione ratam habere creditur promissionem suam, ita ut frustra in integrum restitutionem postulet, *I. 2. & 4. C. de his que vi met. c.*

## IV.

*IV. Di-* Quarto & ultimo Ratihabitionem divido, quod fiat vel *visio in* in totum vel pro parte, seu quod sit *Generalis* vel *Particularis*; *Generalem* adpello, cum quis omne quod gestum est adprobat & agnoscit, *Particularem*, cum quis non omne sed partem tantum ejus, quod actum est, ratam habet; Id autem pro parte (in iis saltem, quæ alius egit) fieri posse, manifestum est ex *I. 17. ff. rat. rem hab.* ubi sic *Marcellus*: *Cum debitore decem creditoris nomine Titius egit, partem petitionis ratam habuit dominus, dicendum est, obligationis partem consumtam, quemadmodum si decem stipulatus esset aut exegisset, creditorque non totum sed partem gesta rei comprobasset* (a) Idem probat *Pomponius* in *I. sq. 18.* dum ait: *nam et si ipse dominus pro parte ratum habuerit, pro parte non habuerit, non ultra quam in partem committitur stipulatio.* Quare etiam, si falius procurator ratam rem dominum heredemque ejus habiturum latis dederit, domini heredes, si ratum habere volunt, non cogun-

---

(a) In qua lege particulam *aut pro & positam esse* dicunt *Glossatores*, ut duo diversi casus proponantur.

coguntur in solidum ratum habere, sed quisque pro sua parte id facere potest, & si quidam sint, qui ratum habent, alii, qui non, stipulatio de rato contra procuratorem non in solidum committitur, sed pro ea tantum parte, pro qua ratum non habetur, d. l. 18. pr. Et quare quæso quis non posset pro parte ratum habere? cum in totum omittere ratihabitionem possit, l. 22. pr. ff. rat. rem hab. l. 6. §. 1. ff. de cond. indeb. Attamen cum dicimus, aliquem pro parte ratum habere posse, non leve nobis videtur facere negotium lex 4. §. 1. in f. ff. de V. O. ubi JCtus ait: *Ipse dominus pro parte ratum habere non potest.* Sed sciendum, stipulationem seu cautionem de rato vel a procuratore interponi vel ab ipso domino, ipse autem dominus caver, se heredemque suum ratum habiturum, ut procuratorem ab ea cautione relevet & confirmet ejus personam, §. 3. f. de satisd. (eiusque rei exemplum peti potest ex l. 65. ff. de procurat. & defens.) Jam si procurator stipulacionem hanc, *dominum ratum habiturum*, interposuerit, potest dominus procuratoris actum pro parte ratum habere, atque ita est casus d. legis 17. & 18. ff. rat. rem hab. Si vero ipse dominus cavit, se heredemque suum ratum habiturum, heredes quidem, quisque pro parte sua, ratum habere possunt, (a) sed ipse dominus in' totum ratum habere debet, atque hoc est, quod docetur in d. l. 4. §. 1. Ita rem optime explanasse mihi videtur Cujacius in Com-ment. ad l. 2. §. 5. ff. de V. O. circa med.

## V.

Ut autem cum effectu interponi possit Ratihabitio, quatuor præcipue requisita esse observanda puto, I. ut *Ratihabitio* interponatur ab eo, qui ratum habere potest, unde cap. sq. 3. videbimus, *quinam ratum habere possint, quinam non.*

C

II. ut

(a) Idem de heredibus quoque docetur in l. 44. §. 6. ff. fam. erc. quæ itidem Pauli est.

II. ut fiat in re tali, quæ rata haberi potest: unde cap. 4. examinabimus, *in quibus causis cum effectu interponi possit, in quibus non.* III. ut fiat tempore idoneo; hinc cap. 5. inquiremus, *quo tempore interponi debeat Ratihabitio.* IV. ne fiat in præjudicium juris tertio jam quæsiti, de quo tractabimus cap. 6.

## CAPUT III.

*Quinam ratum habere possint, quinam non.*

## §. I.

*Quinam ratum habere possint.*

**Q**uum Ratihabitio sit adprobatio superveniens, eaque consensu fiat & mandato, aut iussui comparetur (uti infra cap. 7. §. 1. videbimus) sequitur, in genere eos ratum habere posse, qui consentire & mandare aut jubere possunt, veluti pater & dominus, l. 1. §. 6. ff. *quod iussu.* Item filius in iis causis, in quibus agere vel conveniri potest, arg. l. 8. pr. ff. *de procur.* & def. quare & filia ratum habere potest, si pater egit de dote, l. 39. §. 3. ff. *de proc.* & def. l. ult. pr. ff. *rat. rem hab.* Et quilibet aliis, cuius res gesta est, l. 9. ff. *de neg. gest.* etiam minores 25 annis, l. 3. pr. ff. *rat. rem hab.* l. 9. pr. ff. *de novat.* & *deleg.* (ita tamen, ut si læsi sint, restitui in integrum adhuc possint d. l. 3 pr.) sed ex auctoritate curatorum, si eos habeant, arg. l. 11. C. *de procurat.* Quid igitur, si non habeant curatores, an tum etiam possunt? possunt; exemplum suppeditabit lex 43. §. 3. ff. *de proc.* & def. Multo igitur magis, si minores sunt maiores 25 annis facti, *toto Tit. C. si maj. fact. rat. hab.* Sed an potest ratum habere heres? potest & non potest; Distinguendum enim, an negotium ad heredem transeat, an non: si transeat, ratum habere potest; si non transeat, non potest. V. Gr. si procuratori ejus, qui mortuus erat, solum fuerint legata, heres hanc solutionem ratam habere.

po.

poteſt, cum id negotium ad heredem tranſeat, l. 22. §. 6. ff. rat. rem hab. E contrario, ſi is, cui petita eſt bonorum poſſeffio, deceſſerit, heres eam petitionem rata habere non potefit, l. 7. f. eod. quia hoc negotium ad heredem non tranſit, l. 3. §. 7. ff. de bon. poſſ. niſi bonorum poſſeffio a defuncto jam fuerit petita vel rata habita, d. l. 3. §. 7.

## II.

In genere itaque non poſſunt ratum habere illi, qui *Quinam* conſentire & mandare non poſſunt, uti pupilli & mi- ratum nores fine tutorum vel curatorum (ſi eos habeant) au- habere toritate, arg. pr. f. de auct. tut. & l. 11. C. de procur. non poſſ. Infantes, §. 9. de inut. ſtip. Prodigus, l. 40. ff. de R. f. fint. Furiosus, d. l. 40. l. 47. ff. de acq. vel om. hered. ſed ſi furor eum reliquerit, poſteſt ratum habere quod actum eſt, dum fureret, l. 48. ff. eod. Cujac. Tract. 5. ad Afric. ad l. pen. ff. rat. rem hab. Præterea non poſteſt ratum habere is, cuius conſenſus ab initio pro forma juris ita requiritur, ut ratihabitio non ſufficiat, qualis eft tutor, qui ratum habere non poſteſt, quod geſtum eft cum pu- pillo ſine ejus auctoritate; debet enim tutor ſtatim in ipſo negotio praesens auctor fieri, poſt tempus vero interpoſita au- cotoritas nihil agit, uti eft in §. 2. f. de auct. tut. & l. 9. §. 5. ff. eod. His tamen refragari videtur, quod ait Ulpianus in l. 5. §. 4. ff. de acq. vel om. hered. Jufsum e- jus, qui in potestate habet, non eft ſimile tutoris auctoritati, que interponitur perfecto negotio, ſed præcedere debet. Ut hæc conciliat Jauchius de negat. in Pand. Flor. p. 258. negationem inſerit, legitque, que non interponitur per- fecto negotio. Sed ab hac conciliatione abſtineri velim, (1.) quia nulla Codicum nititur auctoritate, (2.) quia ſenſum legis reddit ineptum; verba enim præcedere debet tunc non referuntur ad jufsum, ſed ad tutoris auctorita- tem, & ſic videretur Ictus docere, jufsum ejus, qui in potestate habet, non requiri in adeunda hereditate,

## DISSERTATIO JURIDICA

sed ratihabitionem sufficere, id quod tamen minime voluit, quum & ex exemplis quæ subjicit in §. sqq. & ex l. 65. pr. ff. ad Sct. Trebel. adpareat, in adeunda hereditate ratihabitionem minime sufficere, sed iussum præcedere debere. Nec magis placet conciliatio J. Gothofredi ad l. 29. ff. de R. J. substituentis in d. l. 25. proposito negotio pro perfecto negotio; Res enim retenta lectione facile explanari potest, si cum Cujacio Obs. L. 13. c. 31. & Hub. ad Tit. J. de auct. tut. n. 3. dicamus, verba illa *perfecto negotio*, significare jam jam perfecto negotio, seu in continentि, simul atque negotium illud est perfectum, quo casu etiam statim in ipso negotio interposita esse auctoritas merito existimatur; quid enim interest, utrum fiat in ipso negotio, an in re præsenti? in re autem præsenti fit, quod illico fit post perfectum negotium, l. 1. in f. ff. de solut. & lib. Jure tamen novo cum Justinianus ratihabitionem tam in rebus juris quam facti admisit in l. 25. C. de Don int. V. & V. dicendum videtur, tutores etiam posse ratum habere id quod gestum est cum pupillo. Denique non potest ratum habere heres eo casu, quo negotium ad heredem non transit, uti §. præced. in f. vidimus.

## C A P U T I V.

*In quibus causis cum effectu interponi possit,  
in quibus non.*

## §. I.

*In quibus causis cum effectu interponi possit,* **G**eneraliter Ratihabitio interponi potest in iis, quæ cum effe. *Et in inter-* aliis vel ipse quis egit, non quidem in omnibus, *led* iis solis, quæ ratione ratum habentis invalide erant ponni que acta; Si enim actus omnino esset validus, non opus fo-  
ret,

ret Ratihabitione, quippe quæ est adprobatio superveniens, qua aliquid agnoscitur & comprobatur, qualis non requireretur, si per se actus esset validus. In iis, quæ alius egit, Ratihabitio procedit, si invalida sunt ob defectum consensus seu voluntatis ejus, qui ratum habet (a). In iis vero, quæ ipse quis egit, ratihabitio procedit, si non quidem ob defectum consensus actus est invalidus, sed in gratiam ratum habentis a lege fuit improbatus. Videamus jam primo de iis, quæ egit alius, dein quæ ipse quis egit.

## II.

In eo autem, cuius actum ratum habemus, observandum est, eum vel esse potestati nostræ subjectum, ut *qua egit* filium & servum, vel non. Ratihabitionem interponi *alius*. posse in iis, quæ egit filius vel servus, ex eo adparet, quod pater & dominus ratam habere possint bonorum possessionem a filio vel servo agnitam, l. 5. pr. ff. quis ord. in bon. poss. l. 6. §. 1. l. 25. §. 7. ff. de acq. vel om. hered. l. 1. C. qui adm. ad bon. poss. Item restitutio-  
nem hereditatis fidicommisariæ, l. 30. §. 2. l. 65. pr. ff. ad Sct. Trebell. compensationem a filio factam, l. 9. §. 1. ff. de compens. mutuum a filio contractum, l. 7. §. 15. ff. l. ult. C. ad Sct. Maced. precarium, l. 13. ff. de precar. & generaliter ea, quæ geslit filius vel ser-  
vus, l. 1. §. 6. ff. quod jussu. etiam si ea fecerint invito domino vel patre, l. 6. §. 1. ff. de acq. vel om. her. l. 30. §. 2. l. 65. pr. ff. ad Sct. Treb. Ita etiam Ratihabitio

C 3

bitio

(a) Per defectum autem consensus hic non intelligendum, quasi ratum habens consentire non potuerit, ut id accipi solet, cum de furioso & infante loquuntur Jcti, sed quod defuerit, i. e. non adfuerit consensus ratum haben-  
tis, qui ceteroquin habilis erat ad consentiendum.

bitio interponi potest in iis, quæ egit quilibet alius sub potestate non constitutus, uti in bonorum possessione, l. 3. §. 7. ff. de bon. poss. l. pen. pr. ff. rat. rem hab. in restitutione hereditatis tideicommissariæ, sive quis eam pro nobis acceperit, vel ipse sibi eam arripuerit, l. 37. pr. in m. & f. l. 66. §. 1. ff. ad SCt. Treb. Transactione, l. 60. ff. de procurat. & def. emtione venditione, l. 16. & 19. C. de procur. l. 19. C. de neg. gest. l. 4. C. de usuc. pro emt. l. 3. C. de rei vind. l. 12. C. mand. solutione, sive quis eam fecerit, vel receperit, l. 12. §. 4. l. 34. §. 6. l. 49. l. 71. §. 1. 2. & 3. ff. l. 11. & 12. C. de solut. l. 14. ff. de condic. c. d. c. n. s. l. 7. pr. & §. 2. ff. de dote præleg. operis novi nunciatione, l. 5. §. 18. ff. de op. novi nunc. in iis, quæ pro minore acta sunt, quæ rata habere potest, cum major est factus, l. 11. C. de solut. Denique in delictis, veluti si quis aliquem dejecit, l. 1. §. 14. l. 3. §. 10. ff. de vi & vi arm. l. 152. §. 2. ff. de R. f. si quis rem alienam dederit pignori quasi suam, l. 20. pr. j. l. 16. §. 1. ff. de pign. acc. l. 16. §. 1. ff. de pign. in illatione cadaveris, §. 9. f. de R. D. l. 6. §. 4. ff. eod. (a) j. l. 2. §. 2. ff. de relig. & sumt. fun. & l. 3. §. 3. ff. de sep. viol. Sed ut ratihabitio in delictis procedat, non male Glossatores ad d. l. 1. §. 14. de vi & vi arm. lit. c. & d. Jul. Clarus Lib. §. sent. (b) Eman. Soarez in Thes. recept. sent. voce ratum, requirere videntur, si in re nostra non est commissum, ut tale sit delictum, quod per alium explicari potest, & principaliter committi solet ad offensam & inju-

(a) In qua §. 9. & l. 6. lectionem Florentinam cum Fauchio, A. Augustino Emend. l. 1. c. 2. pr. Tom. 4. Thes. Ott. & Heinecc. ad Vinn. l. 2. T. 1. Inst. §. 9. num. 4. præfero, cum & Theophilus & Basilica negationem omittant.

(b) Uti vide in ejus comm. opin. apud R. P. Fichard. recept. sent. Tom. 2. p. 311. voce Ratificans.

injuriam alterius, uti homicidium, non vero tale, quod per alium explicari nequit, & quod committi principalius solet propter libidinem ipsius delinquentis, uti est adulterium, stuprum. Procedit autem Ratihabitio, sive actus judicialis sit, sive extrajudicialis. De extrajudiciali ex dictis satis adparet, de judiciali v. l. 56. ff. de judic. l. 75. ff. de proc. & def. l. 11. ff. qui satisf. cog. l. 3. §. 2. & 3. ff. judic. solvi. l. 3. §. 1. ff. rat. rem hab. l. 9. §. 1. ff. de compensat. Ex dictis itaque recte concludimus, ratihabitionem generaliter locum habere in iis, quæ mandari & per alium expediri possunt. Is autem alius, cuius actum ratum habemus, si nostro nomine egerit, in jure dici solet negotiorum gestor vel falsus procurator, uti in l. 3. pr. & §. 1. ff. rat. rem hab. quia mandatum non habuit, vel habuit quidem, sed non sufficiens seu non ad id, quod egit, l. 6. §. 2. ff. de cond. indeb. Vocatur etiam simpliciter procurator, uti in l. 4. l. 8. §. 1. & 2. l. 12. §. 2. ff. rat. rem hab. ubi tamen subaudiendum falsus.

## III.

Sed an necesse erit, ut is, cuius actum ratum habemus, egerit nostro nomine seu contemplatione? Hic distinguendum puto inter res & personas, vel enim res fuit nostra, quæ gesta est, vel non nostra, (1.) vel is qui egit, potestati nostræ fuit subjectus vel non; Jam si res fuit nostra, & is egerit, qui potestati non est subjectus, non puto requiri, ut nostro nomine egerit; Exemplum peti potest ex l. 16. §. 1. ff. de pign. & hyp. & l. 20. pr. ff. de pign. act. nempe, aliquis rem meam dedit pignori, non meo sed suo nomine, ego ratum habeo, valebit pignus ab initio. Aliud exemplum elici potest ex l. 3. C. de contrah. & commit. stip. Pecuniam meam tibi dedi mutuam, & stipulatus sum eam redi Juliano, qui absens erat, inutilis est stipulatio, quam alter alteri stipu-

*An necesse**se sit, ut**actus no-**mine ra-**tum ha-**bentis sit**gestus.**lari*

## DISSERTATIO JURIDICA

lari nequeat, §. 4. & 19. *Inst. de inut. stip.* mihi ergo re-  
 stat repetitio pecuniae, non *Juliano*: ast ille pecuniam  
 exegit quasi suam, & solvit ei, ego ratam hanc solu-  
 tionem habere possum & actione negotiorum gestorum  
 pecuniam a *Juliano* repeterem. Alia exempla peti possunt  
 ex l. 3. C. de rei vind. & l. 1. C. de his qui a non dom. atque  
 ita sentit etiam *Cujac. Tract. 8. ad Afric. ad l. ult. ff. de*  
*neg. gest. & A. Faber Ration. ad l. 23. ff. de reb. cred. fere*  
*in med.* Si vero res non fuit nostra, & aliquis sub pote-  
 state non constitutus egerit, requiritur, ut nostro egerit  
 nomine; Egregium hujus rei exemplum est in l. 6. §. 9.  
 ff. de neg. gest. quare ipsa legis verba hic exhibebimus:  
 „Quæritur apud *Pedium lib. 7.* Si Titum quasi debito,  
 „rem tuum extra judicium admonuero, & is mihi sol-  
 „verit, cum debitor non esset; tuque postea cognove-  
 „ris & ratum habueris; an negotiorum gestorum actione  
 „me possis convenire? & ait, dubitari posse: quia nul-  
 „lum negotium tuum gestum est, cum debitor tuus  
 „non fuerit; sed ratihabitio, inquit, fecit tuum nego-  
 „tium, & sicut ei, a quo exactum est, adversus eum  
 „datur repetitio, qui ratum habuit, ita & ipsi de-  
 „bebit post ratihabitionem adversus me competere a-  
 „ctio, sic ratihabitio constituet tuum negotium, quod ab  
 „initio tuum non erat, sed tua contemplatione gestum.“  
 Aliud exemplum vide in §. sq. 10. ejusd. legis. & aliud  
 peti potest ex l. 2. in f. ff. de *calumn.* Sed observanda hic  
 exceptio quædam, quæ additur in d. l. 6. §. 11. nempe:  
 si modo *verus dominus ex eo non sit locupletatus*, V. Gr. si  
 cum te heredem putarem, insulam fulsero hereditatiam,  
 tuque ratum habueris, non erit mihi adversus te actio,  
 quum *verus dominus hoc facto meo sit locupletatus*, nec  
 possit, quod alii acquisitum est ipso gestu, hoc tuum ne-  
 gotium videri, d. §. 11. *Cujac. d. l. A. Fab. Ration. ad*  
*d. l. 6. §. 11. de neg. gest.* Quod si is, cuius actum ra-  
 tum habemus, fuerit persona potestati subjecta, ut fili-  
 us & servus, patrem & dominum ratum habere posse cre-  
 do, sive filius vel servus egerit in re patris vel domini

vel non, sive suo sive patris vel domini nomine, idque propter relationem personarum, quæ est inter patrem & filium, servum & dominum. Sic V. Gr. filius. si sumserit pecuniam mutuam, pater hunc contractum ratum habere potest, l. 7. §. 15. ff. l. ult. c. ad SCt. Maced. Quid enim, an opus erit, ut filius patris nomine vel in rem patris sumserit mutuum? id nusquam invenio; & sic in ceteris a filio vel servo gestis; Hac tamen observanda differentia, quod, si filius vel servus suo nomine contraxerit, & pater vel dominus ratum habuerit, filius vel servus contraxisse intelligantur; Si vero filius vel servus patris vel domini nomine contraxerit, & pater vel dominus ratum habuerit, pater vel dominus ipse contraxisse intelligantur, hocque discrimen adparebit ex l. 13. ff. de precar. ubi docetur: Si servus domini nomine rem precario rogaverit, & dominus ratum habuerit, ipse dominus intelligetur precario habere; si vero servus suo nomine precario rogaverit, & dominus ratum habuerit, non videbitur dominus precario habere, sed servus; Idemque ibi de filio docetur. Quæ autem diximus, patrem & dominum ratum habere posse actum filii & servi, etiamsi nec de re nec nomine eorum egerit filius vel servus, item quemlibet alium posse ratum habere, si modo re ipsa de re ejus actum sit, licet non ejus nomine, his non obstabunt illi textus, in quibus additur, rem ratum habentis nomine fuisse gestam, uti d. Lex 13. ff. de precar. Lex 17. pr. ff. rat. rem hab. Lex 80. §. 7. ff. de furt. ex quibus tamen alii probare volunt, ratihabitionem non procedere, nisi res ratum habentis nomine fuerit acta, (a) in lege enim 13. distinctione illa docetur, uti diximus, ideoque in ea, uti & in

D

ce.

(a) Ita sentiunt Glossatores ad l. 3. C. de rei vind. Lit. z. & Brunnem. ad l. 1. C. de reb. al. non al. n. 2. in f.

## DISSERTATIO JURIDICA

ceteris alleg. non jus, sed factum narratur. Neque obstat *Lex. 6. §. 6. ff. de neg. gest.* ubi distinguendum ait *J. C. Ius, utrum res contemplatione seu nomine filii an patris fuerit gesta, ideoque si quis filio servum non necessarium emerit (adeoque rem contemplatione filii gesserit) & pater ratum habuerit, nihil agi illa ratihabitione.* Nam alia hic res est, hic non egit filius, sed alius pro filio; Secundo, ostendimus paullo ante, in eo, qui potestati subjectus non est, requiri, ut vel egerit de re ratum habentis, vel ejus nomine, hic autem nec res patris fuit, nec ejus nomine acta; Non fuit patris nomine acta, quia emitio facta fuit filio; Non fuit patris, quia ne quidem filio fuerat is servus necessarius, qui si necessarius aut utilis fuisset, patris sane negotium aliqua ex parte gestum videri potuisset hoc ipso, quod peculium locupletius factum fuisset, atque ita teneretur emtori saltem de peculio. Sed si filius ratam habuisset emtionem, utique per hanc ratihabitionem fecisset suum negotium, & ita se obligasset in solidum actione negotiorum gestorum, patrem vero per consequentias actione de peculio, *I. 44. ff. de pecul.* quia scil. negotium emtionis ei gestum fuerat, non patri, & quamvis inutiliter gestum fuerit, attamen ratihabitio facit, ut pro utiliter gesto habeatur, *I. 9. ff. de neg. gest.* Neque haec verba, *nihil agitur ratihabitione,* ita intelligenda sunt, ut omnino nihil agatur, sed ratihabitione patrem non obligari in solidum, quæ tamen alias patrem obligat in solidum, si ratum habuerit, quod filius egit, *Cujac. Traet. 2. ad Afric. ad l. 23. ff. de reb. cred. & A. Fab. Ration. ad d. l. 6. §. 6. ff. de neg. gest. (a).* Denique non obstat *Lex. 19. C. de neg. gest. & Lex. 20. C. fam. excise. (b)* ubi docetur, si unus

CO-

---

(a) Quod autem diximus, in *d. l. 6. §. 6.* non fuisse gestam rem patris, ei non obstat, si quis dixerit, imo res pat-

coheres pro solido rem veluti communem (adeoque etiam nomine coheredis) venundedit, alter ratam habens hanc venditionem actione negotiorum gestorum de pretio agere potest; quod si coheres ille rem non veluti communem sed ut propriam (adeoque non coheredis nomine) distraxerit, ac pretium possideat, alter non negotiorum gestorum agere, sed ab eo hereditatem petere debet. Sed observandum, in prima quidem legis parte doceri, si coheres unus, rem veluti communem, adeoque & nomine coheredis vendiderit, & alter ratum habuerit, actionem ei dari negotiorum gestorum, attamen in posteriore legis parte non negari, ratihabitionem procedere, si rem ut propriam distraxerit alter, non enim additur, eum ratum habuisse. Sed satis de hac quæstione. Ex dictis jam apparet, cum, cuius actum ratum habemus, egisse vel in re nostra & nostro nomine, vel in re nostra & non nostro nomine, vel in re non nostra seu aliena sed nostro nomine. Animadvertendum præterea ratihabitionem adhuc cum effectu interponi, etiamsi in eo, cuius actum ratum habemus, defectus qui-

D 2

dam

---

patris ibi gesta fuit, quum filii negotia peculiaria ibi gesta sint, ideoque patris negotia gesta videantur, quum peculium magis patris quam filii sit, l. 3. §. 4. *in f. l. 27. pr. ff. de minor.* Non enim negotia peculiaria ita sunt patris, ut non sint etiam filiif. hujus enim peculium proprium ipsius patrimonium esse intelligitur, l. 19. §. 1. *in med. l. 39. l. 47. §. ult. ff. de pecul.* neque rursus ita etiam sunt filii, ut non sint patris quoque, *d. l. 3. & 27. A. Fab. d. l. pr. recte ergo JCtus in d. l. 6. §. 6.* distinguit, utrum res filii an patris nomine fuerit gesta. Ex eo itaque minime sequitur, ut res semper debeat acta esse nomine ratum habentis.

(b) Quæ leges eosdem habent auctores.

dam supervenerit, V. Gr. si mortuus sit, vel furere incepit, vel eum poenituerit, l. 24. §. 1. ff. rat. rem hab.

## IV.

*De rati-  
habitione  
eorum,  
qua ipse  
quis egit.* Videndum jam de *Ratihabitione eorum*, quæ ipse quis egit, hicque in memoriam revocandum, quod diximus supra §. 1. *huj. cap.* requiri nempe, ut actus sit invalidus non quidem ob defectum consensus, sed si in gratiam ratum habentis actus a lege fuerit improbatus. Hujus rei exemplum I. habemus in minoribus, qui majores facti ratum habere possunt, quod ipsi in minorenitate egerant, *Paul. Sent. l. 1. Tit. 9. §. 3. l. 3. §. 1. ff. de minor. toto Tit. Cod. si maj. fact. rat. hab.* Id autem, quod minores egerunt, invalidum esse, quum per restitutionem in integrum rescindi possit, notum est. II. in filiosfamilias, qui pecuniam sumvit mutuam; actus enim ille invalidus est in gratiam, i. e. ob rationem filii fam. propter *SCTum Macedonianum*, attamen paterfamilias factus contractum illum ratum habere potest, arg. *l. 7. §. ult. ff. & l. 2. Cod. ad SCT. Mace.* III. exemplum habemus in eo, qui metu contraxit, contractus quippe per restitutionem rescindi potest, attamen is, qui metum est passus, eum postea ratum habere potest, *l. 2. & 4. C. de his qua vi met. c. j. l. 1. ff. de in int. rest.*

## V.

*In quibus* Vidimus huc usque, in quibus causis cum effectu interponi possit *Ratihabitio*, videndum jam, in quibus cum eff. non possit. Diximus pr. *hujus cap.* ratihabitionem cum effectu interponi in iis, quæ invalide erant acta, item possit in terponi. effectu mandari & per alium expediri poterant; Ex quo liquet, cum effectu eam in genere interponi non posse. I. si actus per se & omnino est validus, unde nihil operatur ratihabitio in iis, quæ gessit procurator verus, qui man-

mandatum de eo, quod egit, habuit, l. 6. pr. & §. 2.  
l. 47. ff. de cond. indeb. l. 87. ff. de solut. l. 40. §. 2. in  
med. ff. de proc. & defens. (a) II. Si talis sit actus, qui  
mandari & per procuratorem expediri non poterat, ve-  
luti actus legitimi, de quibus v. Cujac. Obs. 15. c. 16.  
aliaque, v. l. 40. pr ff. de procurat. Præterea non in-  
terponitur cum effectu in illis, quæ neque in re nostra,  
nec nostro nomine sunt acta, uti vid. §. 3. huj. cap. I.  
tem quæ nostro quidem nomine sed in re aliena sunt acta,  
si nullum inde lucrum ad ratum habentem, sed omne  
ad verum rei dominum pervenerit, vid. §. 3. huj. cap.  
Insuper si jussio vel auctoritas pro forma negotii a lege  
requiratur, uti ait Brunnem. ad l. ult. C. ad SCt. Maced.  
n. 4. & Bronchorst ad l. 60. ff. de R. J. uti in interponen-  
da tutoris auctoritate, v. sup. cap. 3. §. 2. & in aditione  
hereditatis, si filius vel servus sine jussu patris vel domi-  
ni adierunt hereditatem, l. 25. §. 4. ff. l. 15. C. de acq.  
vel om. her. l. 65. pr. ff. ad SCt. Treb. attamen exceptio  
est in casu, quo filio delata est hereditas ex SCto Orfici-  
ano, l. 6. §. 2. ff. de acq. vel om. her. atque ita quidem  
jure ante Justiniane quo res facti facilius per ratihab-  
itionem confirmabantur, sed jure novo & in auctoritate  
tutoris interponenda & in aditione hereditatis videtur  
ratihabitio sufficere, quum Justinianus in l. 25. C. de  
Don. int. V. & U. & l. ult. C. ad SCt. Maced. hanc di-  
stinctionem inter res juris & facti sustulerit, & in omni-  
bus ratihabitionem retrotrahi voluerit, sive res fuerit  
juris sive facti, uti sup. c 2. §. 1. vidimus; atque ita  
quoque (saltem de aditione hereditatis) sentit Cujac. Tract.  
§. ad Afric. ad l. pen. ff. rat. rem hab. nec obstatunt §.

D 3

3. 7.

(a) Quid igitur, an ratihabitio erit necessaria in iis, quæ  
negotiorum gestor egit utiliter? Non erit, nam valent ea  
ab initio sine ratihabitione, l. 9. ff. de neg. gest. l. 50. pr.  
ff. mand.

3. *J. per quas pers. cuique acq. ubi adhuc docetur, servum sine iussu domini hereditatem adire non posse, nec §. 2. *J. de auct. tut.* ubi auctoritas tutoris post tempus interponi posse adhuc negatur; nam d. §. 3. desumptus est ex Lib. 2. Inst. Caji, uti constat ex l. 10. §. 1. ff. de A. R. D. atque d. §. 2. itidem ex Cajo in Institutiones relatus est, uti adparet ex l. 9. §. 5. ff. de auct. tut. Item non procedere ratihabitionem puto, si actus est dolosus, & ratum habens dolum nesciverit, uti colligi potest ex l. 1. C. si maj. fact. rat. hab. l. 35. ff. de pac. l. 9. ff. de neg. gest. Secus vero, si dolum sciverit, tunc enim ei renunciasse videtur, v. Duaren. ad Tit. C. si maj. fact. rat. hab. pr. Brunnem. ad l. 3. ff. de min. n. 10. & ad l. 1. & 2. C. si maj. fact. rat. hab. n. 1. 2. 3. & 7. Menoch. de recip. poss. Remed. 15. n. 132. Denique non potest quis ratum habere actum suum, si actus ille non fuit invalidus in gratiam suam, sed ob rationem publicam, V. Gr. Proconsul jurisdictionem Legato suo mandare non potest, antequam ingressus provinciam sit: si vero id ante fecerit, ingressus provinciam non potest ratum habere quod legatus interim egit, l. 4. §. ult. ff. de off. Proc. & Leg. aliud exemplum peti potest ex l. 65. §. 1. ff. de R. N:*

## CAPUT V.

*Quo tempore interponi debeat Ratihabitio.*

## §. I.

*Fieri debet intra id tempus, quo actus, de quo agitur, denno*

**T**ertium Ratihabitionis requisitum esse diximus, ut fiat tempore habili, in quo perquirendo observandum est, id non adeo pertinere ad eam ratihabitionem, qua quis confirmat, quod ipse egit, quam quidem ad eam, qua quis adprobat, quod alias egit, (a). Si quis

(a) In iis enim, quæ ipse quis egit facile adparet tempus, quo rata

igitur vult ratum habere, quod alias egit, ratihabitio in potest fieri interponenda est intra id tempus, quo actus denuo potest ab eo, qui fieri ab eo, qui ratum habet; unde si quis mihi agnovit ratum bonorum possessionem, ratum id habere debeo intra cen<sup>tum dies</sup>, l. 24. pr. ff. rat. rem hab. quum ipse post centum dies petere eam nequeam, d. l. 24. l. 1. §. 8. & 9. ff. de succeſ. Ed. Ideoque si filiusf. bonorum possellionem agnovit, pater post centum dies frustra ratum habere dicitur in l. ult pr. ff. quis ord. in poss. serv. (b) (Neque hic assentior Cujacis Traict. 5. ad Afric. ad l. pen. ff. rat. rem hab. qui putat ob l. ult. C. ad SCt. Maced. & l. 25. C. de don. int. V. & V. facile defendi aliquem posse, si affirmaverit, ratihabitionem hodie procedere, etiam si quis post centesimum diem ratum habuerit; Non enim pertinent haec leges ad tempus ratihabitionis, sed docent tantum, ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, sublata differentia juris & facti.) Quare &, si falsus procurator æs alienum exegit a tali debitore, qui tempore liberabatur, (V. Gr. redhibitoria actione tenebatur,) dominus frustra ratum habet, postquam tempus huic actioni præstitutum clapsum est, l. ult. §. 1. ff. rat. rem hab. Ideoque non valet ratihabitio, si is, qui ratum habet, interim excidit jure suo. Sed obstat his videtur Lex 71. §. 1. ff. de solut. & lib. ubi docetur, si fidejusfor, qui tempore liberabatur, falso creditoris procuratori

---

rata haberi debent; quam diu enim actus est invalidus, tam diu ratihabitio interponi potest, sic si actus per restitutionem rescindi poterat, tam diu potest quis ratum habere, donec durent tempora restitutionis in integrum, si vero actus in perpetuum fuit invalidus, uti in SCto Maccianiano, semper quoque ratus haberi potest.

(b) Id autem intelligendum, si quis neque ex liberis neque parentibus est; his etenim datur anni spatium ad pretendam bonorum possessionem, d. l. 1. §. 12. & 16. ff. de succeſ. Ed.

## DISSERTATIO JURIDICA I

ri solvit, creditorem post tempus illud, quo liberabatur fidejussor, recte adhuc ratum habete, ideoque hic doceri videtur, dominum ratum habere posse, etiamsi ipse petere amplius non poterat. At dicendum cum *Cujacio Tract. 6. ad Afric. ad l. ult. §. 1. ff. rat. rem hab.* differre casum *d. legis ult. §. 1. & legis 71.* in casu legis ult. debitor principalis solvit falso creditoris procuratori, & post tempus liberato debitore ipso creditor ratum habuit; in casu autem *legis 71.* non debitor sed fidejussor solvit procuratori creditoris, & post tempus, cum jam fidejussor liberatus esset, quippe qui ad certum tempus fidejussaserat, creditor ratum habuit; Priore casu ratihabitio prorsus inutilis est, posteriore utilis est in hoc, ut debitor principalis libetur, qui non erat tempore liberatus sicut fidejussor, ca- que res fidejussori adversus debitorem parit actionem mandati, perinde atque si praesenti creditori solvisset, *d. l. 71.* Ceterum cum *Cujacio d. l.* puto, hic admitti non posse distinctionem, quam quidam constituunt inter *verum & falsum procuratorem,* quasi in *d. l. 71.* verus, in *d. l. ult.* falsus intervenisset; nam falsum intervenisse in *d. l. 71.* procuratorem, ex eo manifestum est, quod exspectetur creditoris ratihabitio, ut ex solutioni ei facta videatur liberatio contigisse. Sed quid obtinebit, si cre- ditor, ignorans procuratori falso solutum esse, servo si- liove debitoris acceptum fecerit vel litem cum debitore contestatus sit, postea autem rescierit procuratori solutum esse, an adhuc poterit actum procuratoris ratum habe- re? poterit, ita ut, quod acceptum latum est, nullius momenti sit, vel si litem contestatus est, absolvatur is, cum quo actum est, *d. l. 71. §. pen. & ult.* Secus vero fore puto, si ab initio sciverit procuratori solutum esse.

## II.

*Antotium illud* Quid vero, an totum illud tempus, quo actus denuo potest fieri a ratum habente, erit in arbitrio ejus, an ra- tum

tum habere velit, an non, quod egit falsus procurator? Non poterit, sed ratum habere debet, quam primum certior factus est de procuratoris actu, alias non videbitur ratum habuisse, at illud quam primum non stricte hic intelligendum, sed *et πλάνη*, i. e. cum laxamento & amplitudine & cum quodam spatio temporis nec minimo nec maximo, & quod magis intellectu percipi quam elocutione ex primi potest, uti ait Julianus in l. 13. ff. de solut. & lib. l. 12. §. 2. ff. rat. rem hab. Ex quo adparet, spatium quoddam temporis domino concedi, intra quod declarare debebit, utrum ratum habere velit nec ne, quod tamen praeceps definitum non est. Hinc querit JCtus in d. l. 12. §. 2. ff. in med. (quam legem, cum intellectu difficilis & a Glossatoribus varie explicata sit, hic fusiū pau- lo exponere destinavi.) Querit, inquam, JCtus, quid obtineat, si dominus primo non habuit ratum, i. e. cum certior factus, mentem suam statim non declaravit, vel ratum habere noluit, postea vero ratum habuit? i. e. mutata sententia, solutionem procuratori falso factam probavit; Respondebat Julianus, nihil magis proficeret ad impedientiam actionem suam, & ob id, quod primo non habuit ratum, actionem salvam habere, hoc est, non ideo magis dominum amittere actionem suam contra debitorem competentem, ideoque, quod primo non habuit ratum, actionem suam contra debitorem salvam habere; hinc ratihabitionem illam non valere, quia primo non habuit ratum dominus, idque exemplo illustratum it Julianus dicens: ideoque si quod procuratori fuerat solutum exegerit, agi perinde ex ea stipulatione poterit, ac si ratum habere se postea non dixisset, hoc est: quare si dominus a procuratore exegerit, quod ei fuerat solutum a debitore, & sic ratam habuerit solutionem, (fieri enim tacitam ratihabitionem, si dominus exegit a procuratore, quod ei est solutum a debitore, puto cum *Accurso ad d. l.*) agere perinde debitorem ex stipulatione de rato contra procuratorem posse, ac si ratihabitio illa ne-

quidem interposita esset; Atque ita sentit *Julianus* ex hypothesi sua, nempe, quod si primo non habuit ratum dominus, & postea ratum habeat, ratihabitio non valeat (a). Verum *Ulpianus* a *Juliano* dissentiens respondet: *Sed ego puto exceptionem doli mali locum habituram* (sive ut alii legunt) *eum habiturum*; Quid autem hæc verba sibi volunt? cui dabitur hæc exceptio dolii? an debitori adversus dominum perentem? an procuratori adversus debitorem ex stipulatu agentem? neutri puto, sed hic mihi horum verborum videtur sensus: *Sed ego puto*, ratihabitionem illam postea factam ex æquitate adhuc valere, quia spatium aliquod temporis domino conceditur ad ratum habendum, & dominum, qui ratihabitione sua procuratoris personam confirmavit, exceptione dolii mali defendere posse procuratorem & repellere debitorem ex stipulatu contra procuratorem agentem; quæ horum verborum explicatio lucem accipit ex l. 8. §. 1. ejusd. tit. Atque ita fere hanc legem accepit *Cl. Voet ad Tit.* ff. rat. rem hab. §. 3. in f. dum ex ea sic ratiocinatur: *Si is, qui primo ratum habere noluit, mutata dein mente, ratum habeat, ex æquitate stipulatio baud committitur, aut saltem doli exceptio locum habet.*

## CAPUT VI.

*An Ratihabitio fieri possit in præjudicium juris tertio quæsti.*

§. I.

*Ultimum Ratihabitionis requisitum est, ut per eam non fiat præjudicium juri tertio jam quæsto;* si enim ratihabitio interea jus tertio quæsitum est, non procedet ratihabitionis requisitum, ne

(a) At quo ita cum *Juliano* sentire videtur *Paulus* in l. 62. post med. ff. de solnt. & lib.

tio, in tantum saltem, in quantum præjudicatur tertio; fiat in Ratio est, ne in alicujus potestate sit alterius tertii jus læ-præjudicare, quod nunquam ferendum est, arg. l. i. pr. l. 9. cium ja-  
pr. l. 11. pr. ff. qui pot. in pign. A. Fab. Cod. l. 4. T. 1. ris tertio  
Def. 1. ibique not. n. 4. & Ration. ad l. 20. pr. ff. de jam qua-  
pign. act. lit. a. in f. Huc jam applicari possunt eadem siti.  
exempla, quæ cap. præc. §. 1. adhibuimus, cum probare-  
mus, ratihabitionem fieri debere intra id tempus, quo  
actus denuo potest fieri a ratum habente; Quare si bo-  
norum possessio pro altero est petita sine mandato, ra-  
tihabitio interponi non potest post lapsum istius tempo-  
ris, intra quod petenda fuerat bonorum possessio, l. 24.  
pr. ff. rat. rem hab. erat enim sequenti gradui tum jam  
locus, cui proinde quæsitum prætoriæ hereditatis peten-  
dæ jus ratihabitione intempestitiva non fuit tollendum,  
Voet ad Tit. ff. de proc. & def. §. 10. Ita &, si falsus pro-  
curator æs alienum exegerit a tali debitore, qui tempore  
liberabatur, dominus claps illo tempore frustra ratum  
habet, l. ult. §. 1. ff rat. rem hab. quum ita præjudi-  
cium fieret debitori, cui jam erat quæsitum jus non sol-  
vendi. Sed obstat iterum videtur Lex 71. §. 1. ff. de  
sol. & lib. quum ibi doceatur, si fidejussor procuratori  
creditoris falso solvit, creditorem posse ratum habere  
post tempus, quo fidejussor liberabatur, ideoque hic  
ratihabitio procedere videtur in præjudicium fidejussoris,  
cui jam erat quæsitum jus liberationis. Sed animadver-  
tendum, non adeo præjudicium hic fieri juri, quod fi-  
dejussori jam quæsitum est, quum damnum inde non  
patitur, habet enim regresum adversus debitorem prin-  
cipalem, nempe actionem mandati, uti ipsa Lex 71.  
docet.

## II.

Hinc decidi quoque poterit quæstio, *utrum quis rata Queri-  
babere possit gesta a falso procuratore, si pro eo sententia la-  
ta est;* ex hypothesi enim nostra statuendum, non posse trum quis

*bere posse ea rata haberi, quum sic fieret præjudicium juri, quod  
gesta a  
falso pro-  
curatore, nato per ratihabitionem domini fieret condemnatus; id  
pro quo  
sententia  
lata est.*

adversario jam quæsumum erat, nempe objiciendi senten-  
tiæ nullitatem, siquidem sic adversarius ex non condam-  
nato per ratihabitionem domini fieret condemnatus; id  
enim, quod falsus procurator egit in judicio, ipso jure  
nullum est, uti patet ex l. 24. C. de procurat. l. 27. pr.  
ff. eod. & l. 4. C. in quibus caus. in int. ref. non est neces.  
Sed si sententia contra procuratorem fuit lata, dubium  
non est, quin dominus ratum habere posse, v. l. 3. §. 1.  
ff. rat. rem hab. quum suo juri renunciet, & in præjudi-  
cium suum id faciat, l. 3. C. quom. & quand. jud. Vel,  
si pendeat adhuc incertus litis eventus, ideoque ante  
sententiam, dominus ratum habere poterit, quum rati-  
habitione illa adversario nihil sit admittum, l. 56. ff. de  
judic. l. 5. ff. rat. rem hab. Præterea hæc sententia no-  
stra nititur æquitate; si enim ratihabitio hoc casu pro-  
cederet, occasio daretur domino exspectandi finem ju-  
dicii, & si sententia contra eum ferretur, eam non ra-  
tam haberet, si pro eo, ratam haberet, quod iniquum  
esse quisque facile animadvertit. Denique huc facit,  
quod in judiciis servanda sit æqualitas, l. ult. C. de fruct.  
& lit. expens. ea autem non servabitur, si tali casu valeat  
ratihabitio; nam si lata esset sententia contra falsum pro-  
curatorem, non esset in potestate adversarii efficere, ut  
sententia pro se lata obtineat, hic autem in potestate  
domini efficere, ut sententia pro se lata valeat; Et sic  
mecum sentiunt Voet ad Tit. ff. de procurat. §. 10. Zое-  
sius ad eund. Tit. n. 17. Huber ad eund. Tit. n. 8. Perezius  
ad eund. tit. Cod. n. 13. Coccejus in jure contr. ad eund.  
Tit. Quest. 5. Struvius in Evolut. controv. Exerc. 7. l. 3.  
Tit. 3. Th. 27. & Fachineus Controv. Lib. 8. c. 61. Non  
desunt tamen, qui dissentiant, putantes, gesta a falso  
procuratore rata haberi posse, si pro eo sententia lata sit,  
inter quos Brunnem. ad l. 56. ff. de judic. & ad l. 3.  
ff. judic. solvi n. 5. Gaill. Obs. l. 1. Obs. 47. n. 4. & 5.  
Benedict. de Capra, uti v. in ejus comm. opin. collect. per

R.

*R. P. Fichardum Recept. Sement. T. 2. p. 208. n. 41. & Glossa in l. 11. §. 7 ff. de exc. rei jud. lit. L.* Idque ob sequentes rationes & leges, l. ob l. 56. ff. de judic. ubi dicitur: *Si quis cum procurator non esset, litem sit contestatus, deinde ratum dominus habuerit, videtur retro res in judicium recte deducta;* Sed velim mihi demonstrent dissentientes, agi hic de ratihabitione post sententiam interposita; intelligenda enim hæc verba sunt de ratihabitione pendente judicio facta, quo tempore eam interponi posse, paullo ante dictum; Et quid, si jam concederemus, verba hæc intelligenda esse de ratihabitione post sententiam interposita, probandum insuper erit, sententiam pro fallo procuratore fuisse latam, quod nusquam adparet. II. Ob hanc rationem, quod quando aliquid nullum est ex defectu consensu, illud superveniente consensu retro validetur, *l. ult. C. ad SCt. Maled. l. 16. §. 1. ff. de pign. & hyp.* Respondeo; hoc verum, si non fiat præjudicium juri tertio jam quæsito, & si legitimo tempore interponatur ratihabitio, III. quia videtur imputandum adversario, cur mandatum procuratoris diligentius non examinaverit, & exceptionem falsi procuratoris non opposuerit, Resp. 1. potest bona fide existimasse esse verum procuratorem (a) 2. Major est culpa falsi procuratoris, qui temere sine mandato suscepit litem alienam, quam negligentia adversarii, 3. potuit esse in casu, ut procuratorem falsum repellere non potuerit, puta quod procurator quidem erat, sed qui mandatum ad illam litem non habebat, vel quod dubitatur de ejus mandato, vel quod conjuncta fuerit persona, quales ad agendum admitti debent, si cautionem præstiterint de rato, *l. i. C. de procur. l. 40. §. ult. ff. eod.* IV. objiciunt Legem 3. §. 1. ff. rat. rem hab. Sed illa aperte agit de casu, quo sententia contra procura-

E 3

to.

(a) Secus ergo erit, si scivit falsum esse procuratorem.

torem fuit lata. V. Legem 22. §. 3. ff. rat. rem hab. & legem 66. ff. de procurat. ubi docetur, si procurator sine mandato in judicio aliquid petit, dominum id posse ratum habere. Resp. ostendant mihi, post sententiam id fieri posse; E contrario ex verbis quod procurator petit, adparet, rem tantum fuisse in judicium deductam, & nihil procuratorem illum adhuc consecutum fuisse per judicis sententiam. VI. & ultimo objiciunt legem 3. §. 2. & 3. ff. judic. solvi. quia hæc lex indefinitè loquitur, nec distinguit, utrum pendente, an finito judicio, ratihabito interponenda sit; Resp. id nihil obstat sententiæ nostræ, quum, si Lex indefinitè loquatur, id ita definiri debeat ex hypothesi nostra, ut intelligatur facta ratihabitio pendente judicio vel in præjudicium ratum habentis.

*An idem  
hic obti-  
neat in  
falso a-  
ctoris ac  
Rei pro-  
curatore.*

Ea autem, quæ huc usque de hac quæstione tractavimus, agunt de falso Actoris procuratore; Quid igitur, an Reus poterit ratum habere, quod defensor ejus seu procurator sine mandato egit in judicio, si sententia pro eo lata est? poterit, puto, quum hoc casu non fiat præjudicium juri actori quæsito, in eo consistenti, quod procurator sine mandato egerat, ideoque ipso jure nullus fuerat ejus actus, l. 24. C. de procurat. Non enim ipso jure nullum est, quod defensor egit in judicio, sed vallet, modo stipulationem judicatum solvi interposuerit, quum sine mandato reum recte defendere possit, l. 12. C. de procur. & rem recte in judicium deducat, l. 11. §. 1. ff. de except. rei jud. nam pro alio ignorantie etiam & invito judicium accipere possumus, ut liberetur, l. 23. ff. de solut. Sed dantur casus, in quibus Rei defensor sine mandato non admittitur, & in quibus cautio nem de rato æque ac procurator actoris interponere debet, uti in casu legis 6. ff. rat. rem hab. legis 39. §. ult. & pen. ff. de procurat. & legis 35. §. ult. in f. j. l. 36. in f. cod. Item si convenitur Reus actione in rem, l. 40. §. 2.

§. 2. ff. de procurat. & in duplicibus actionibus, l. 15.  
 §. 1. ff. cod. In his itaque quum ratihabitio domini seu Rei exspectetur, illeque actum defensoris retractare possit, uti adparet ex l. 40. §. 2. ff. de procur. ideoque exspectare, utrum defensor condemnatus esset, an vicisset, existimo idem obtainere atque in casu, quo falsus actoris procurator egit, nempe post latam in Rei favorem sententiam, non posse interponi cum effectu ratihabitio-nem, quum sic præjudicium fieret juri actoris.

## C A P U T V I I.

*De effectu Ratihabitionis.*

## §. I.

**H**uc usque de natura Ratihabitionis tractatum, quid *Effectus* sit, quomodo dividatur, quænam sint ejus re-<sup>generalis</sup>. quænta: nunc videndum, qualem habeat in jure esse-  
dum. Concurrentibus itaque requisitis, generaliter dici potest, ejus effectum esse l. quod comprobet & confirmet gesta, l. ult. ff. de bon. poss. ideoque procurator falsus infecuta ratihabitione recte egisse dicitur in l. 17. ff. rat. rembab. idque etiamsi male & non utiliter sint gesta, l. 9. ff. de neg. gest. non vero dolose gesta, d. l. Imo etiam ea, quæ ipso jure nulla sunt, sic V. Gr. minor major factus ratam habere potest alienationem sine decreto, dum adhuc minor erat, factam, Tit. Cod. si maj. fact. alien. fact. sine decr. rat. hab. talis autem alienatio est ipso jure nulla, l. 22. inf. C. de adm. tut. l. 4. C. de præd. & al. reb. min. l. 2. C. si maj. fact. alien. in v. perperam. Dua-ren. ad Tit. Cod. si maj. fact. rat. hab. post pr. Sic & ea, quæ egit procurator, qui mandatum non habebat, in  
ju-

## DISSERTATIO JURIDICA

judicio, ipso jure sunt nulla, l. 27. pr. ff. de procur. l. 24. C. eod. attamen lite pendente, ea confirmari possunt per ratihabitionem domini, l. 56. ff. de judic. Sic denique, si quis rem alienam inscio ejus domino dederit pignori, pignoris illa datio ipso jure nulla erit, *toto tit.* C. si alien. res pign. dat. sit, l. ult. C. de reb. al. non al. valebit tamen, si dominus ratam habuerit, l. 20. pr. ff. de pign. act. l. 16. §. 1. ff. de pign. & hyp. alia exempla pete ex l. 60. ff. de proc. & def. l. 16. & 19. C. eod. An igitur omnia, quæ ipso jure nulla sunt, poterunt per ratihabitionem confirmari? non puto, sed ea sola, quæ vel ob defectum consensus vel in gratiam ratum habentis erant nulla, prioris exemplum est in pignore, & eo, quod egit procurator in judicio, posterioris, in alienatione sine decreto facta. II. Quod retrotrahatur, & mandato comparetur, l. 60. l. 152. §. 2. ff. de R. f. l. 1. §. 14. l. 3. §. 10. ff. de vi & vi arm. l. 16. §. 1. ff. de pign. & hyp. l. 56. ff. de judic. l. 12. §. 4. ff. de solut. (idem statuit jure Canonico, cap. Ratihabitionem 10. de Reg. Jur.) in iis nempe, quæ a voluntate ratum habentis dependent, uti recte ait A. Fab. Ration. ad l. 20. pr. ff. de pign. act. lit. a. pr. Comparatur autem mandato non generali, sed speciali actus illius, qui ratus habitus est, Idem ad l. 18. ff. de jurej. Hac autem in re olim fuisse distinctio adhibita videtur inter res juris & facti, (uti sup. cap. 2. §. 1. ostendimus,) sed eam abolevit Justinianus in l. 25. C. de don. int. V. & U. & l. ult. C. ad Sct. Maced. ut jure novo tam in rebus juris, quam facti ratihabito retrotrahatur. Hinc mandare & ratum habere sæpe junguntur in jure, idemque effectus utriusque adscribitur, uti in l. 89. §. 1. ff. de solut. & lib. l. 12. C. eod. l. 3. §. 3. ff. judic. solvi. Similiter jubere & ratum habere junguntur, uti in l. 49. ff. de solut. & lib. l. 3. §. 10. ff. de vi & vi arm. l. 2. §. 43. ff. ne quid in loc. publ. vel it. fiat. l. 37. pr. in f. ff. ad Sct. Trebell. & l. 2. ff. de calumn. quibus tamen locis verbum jubere & jussus non ad potestatem

## INAUGURALIS.

41

statem referenda, sed pro mandato accipienda sunt. Neque his obstat *Lex 9 ff. in f. de neg. gest.* nam Scævola ibi non negat ratihabitionem mandato comparari & retrotrahi, sed secundum veritatem loquitur, quum revera, si quis ratum habet, quod egit negotiorum gestor, id mandatum non sit.

## I I.

Fluunt ex his generalibus effectibus alii specialiores, qui *Effe&lt;us* variis sunt pro varietate personarum & rerum circa quas *speciales*. interponitur ratihabito, veluti I. quod si dominus rem a falso procuratore, qui stipulationem de rato interposuit, gestam habuit ratam, non committatur illa stipulatio, *toto Tit. ff. rat. rem hab. vel*, si ea non sit interpolata, non competit condic<sup>o</sup>n aduersus procuratorem falso, quæ competeteret, si dominus ratum non habuisset, *I. 58. pr. ff. de solut. l. ult. §. 1. f. ff. rat. rem hab. II. quod debitor liberetur*, si dominus ratam faciat solutionem falso procuratori factam, *I. 12. §. 4. l. 49. l. 58. ff. de solut. l. 12. C. eod. l. 24. ff. de neg. gest. l. 80. §. 5. in f. ff. de furt.* III. quod si ratum habeam, quod alias meo nomine egit, ipse id fecisse videar, ideoque si indebitum solutum sit procuratori falso, egoque ratum id habeam, ipse, non procurator, teneor condicione, *I. 16. pr. ff. rat. rem hab. l. 22. pr. in f. eod. l. 80. §. 5. ff. pr. de furt. l. 14. ff. de condic<sup>o</sup>n. c. d. c. n. s.* Ita &, si alias mihi precario rogaverit, ego precario habere proprie dicar ratihabitione mea, & tenebor, ac si ipse precario rogavisset, *I. 6. §. 1. l. 12. ff. de precar.* sic quoque, si quis rem meam gerens institorem præposuerit, & ratum habuero, ipse præposuisse intelligor, & actio institoria aduersus me datur, *I. 7. pr. i. l. 5. §. ult. ff. de inst. aet.* (quæ leges jungendæ sunt, cum ex eodem *Ulpiani* libro sint.) Sic denique, si, quod alias dejecit, ratum habuero, dejecisse ipse videor, & teneor interdicto un-

F

de

## DISSERTATIO JURIDICA

vi, l. 1. §. 14. ff. de vi & vi arm. l. 3. §. 10. eod. Alio peti possunt exempla ex l. 2. §. 43. ff. ne quid in loco publ. vel. itin. l. 20. §. 7. ff. de op. novi nunc. l. 2. l. 7. pr. ff. de column. l. 50. pr. ff. mand. l. 19. §. 1. ff. de precar. IV. quod in obligatione alternativa (v. Gr. stipulatus est aliquis Damum aut Pamphilum) si falsus procurator unum petierit, dominusque ratum habuerit, electio domino auferatur, ita ut alterum petere non poslit, l. 66 ff. de procurat. Idem erit, hoc casu: stipulatus sum Stichum aut decem, procurator autem falsus quinque petiit, si ratum habeo, non possum amplius Stichum petere, sed in cetera quinque agere debeo, l. 17. in f. ff. rat. rem hab. V. Quod negotium constituat meum, quod ab initio meum non erat, sed contemplatione mea gestum, l. 6. §. 9. & 10. ff. de neg. gest. V. Gr. si Titium quasi debitorem tuum, qui revera non erat debitor, admonuero, isque mihi solverit, tu ratum habere poteris, d. l. 6. §. 9. v. sup. cap. 3. §. 4. VI. Quod si minor major factus ratum habeat, quod ipse vel alius egit, dum minor erat, frustra postuleti in integrum restitutionem, Paul. sent. l. 1. Tit. 9. §. 3. l. 3. §. 1. ff. de minor. l. un. C. si in comm. ead. caus. Toto Tit. Cod. si maj. fact. rat. hab. Id tamen non impedit, quo minus postea minor ille utatur remedio legis 2. Cod. de resc. vend. si scilicet ultra dimidium fuit laesus, l. 1. Cod. si maj. fact. alien. Voet ad Tit. ff. de reb. eor. qui sub tut. §. 14. prope fin. & Brunnem. ad l. 3. ff. de minor. Præterea cessabit in integrum restitutio, si quis ratum habuerit contractum metu initum, l. 2. C de his que vi met. c. VII. quod ceslet Sctum Macedonianum, si pater ratum habuerit mutuum, quod filius. ejus contraxit, arg. l. 7. §. 15. ff. de Sct. Maled. vel si filius. factus paterfamilias ratum habuerit, d. l. §. 16. VIII. Quod pater vel dominus ratum habens, quod filius vel servus egit, iussisse videantur & teneantur actione quod jussu, l. 1. §. 6. ff. quod jussu. Attamen in l. 5. §. 2. ff. de

*ff. de in rem verso docetur, si dominus ratum habet, quod servus ejus emit, de in rem verso actionem esse. Quidam, uti Glossa ad d. l. §. lit. i. docet, haec ita conciliant: in lege §. dominus ratum habuit negotium dominicum, ideoque de in rem verso actio est, in lege vero i. §. 6. *quod jussu*. negotium peculiare, ideoque quod jussu actio datur; verum hac conciliatione abstinendum puto, quum hoc discrimen ex neutra lege neque aliunde adpareat. Alia iterum est conciliatio A. Fabri Ration. ad d. l. §. 1. & 2. & ad d. l. i. §. 6. qui putat, mendose scriptum esse in d. l. i. §. 6. q. *jussu* & pro verbis *in eos* substituendam esse negationem, legendumque *non datur*, ideoque notandum esse hic casum, in quo ratihabitio vim & effectum mandati non habet (a). Sed venia Viri Eruditii huic conciliationi subscribere nequeo, 1. quia nulla Codicum nititur auctoritate, 2. quia necessaria non est, quum absque emendatione res explanari possit, si dicamus, in d. l. §. dari quidem actionem de in rem verso, si dominus ratum habuerit, non tamen denegari actionem quod jussu, concurrent enim hæc actiones elective; nam quum ratihabitio comparetur mandato, & mandatum patris dominive pro jussu habeatur, d. l. i. §. 3. ff. *quod jussu*. cur non æque daretur actio quod jussu ex ratihabitione patris, ac si mandasset (b).*

F 2

Præ-

(a) Miror autem Fabrum ita docere, quum ipse in Ration. ad l. 16. ff. ad S. Ct. Maced. dicat: *Tantum potest comprobatio patris ad validandum filii contractum, quantum jussus antequam contractum sit*; Ideoque cundem effectum ratihabitioni atque jussui adscribat.

(b) Competere actionem quod jussu ex insecura domini vel patris ratihabitione, inde quoque manifestum est, quod actio quod jussu competit in solidum, §. 1. 3. *quod cum eo*, qui in in al. pot. & dominus paterve in solidum conveniantur,

## DISSERTATIO JURIDICA

Præterea ex d. l. 5. non adparet, servum domino emisse rem non necessariam; si itaque res fuit necessaria, actio de in rem verso competiit ab initio, unde in §. 1. ejusd. legis dicitur: *sive ratum habeat servi contractum dominus, sive non, de in rem verso esse actionem;* si igitur ab initio competiit hæc actio, cur & postea non competenteret, similiter ut negotiorum gestori datur vel actio negotiorum gestorum vel mandati, si dominus ratum habuerit, (ut videbimus mox §. 3. huj. cap.) Hinc &, si dominus iussicerit servum emere boves, venditor dominum de pretio convenire potest actione de in rem verso, l. 16. ff. de in rem verso. & sine dubio quoque actione quod iussu, ex quo adparet, concurrere has actiones elective, neque hoc insolitum in actionibus illis adjectitiis, ut concurrant, §. 5. pr. J. quod cum eo qui in al. pot. IX. efficit ratihabitio, ut procurator habeatur, qui mandatum non habebat, ideoque revera procurator non erat, l. 3. §. 2. ff. judic. solvi. eoque res recte ab eo in judicium deducta videatur, l. 66. ff. de procur. l. 56. ff. de judic. d. l. 3. §. 3. ff. judic. solvi. Unde si procurator falsus petiit fundum ab aliquo & cautionem judicio sisti acceperit, dominus autem ratum habeat, fidejussores Rei teneri dicuntur, in l. 11. ff. qui satisd. cog. hinc & adpellare potest falsus procurator, si ratum habeatur, quod egit in judicio, l. 1. pr. ff. de adpel. recip. X. Quod, si ratum habeo, quod negotiorum gestor meus indebitè solvit scienti, condictionem indebiti consequar, l. 80. §. 7. ff. de furt. l. 18. ff. de cond. furt. non vero condictionem furtivam, licet accipiens hoc casu furtum fecerit, d. ll. sed hæc condicione dabitur negotiorum gestori, quia ille de suo solvit, ideoque nummorum dominus est, cui soli datur conditio furtiva, d. ll. XI. si pupillus sine tutoris autorita-

te

---

niantur, si ratum habuerint, quod filius vel servus egit, l. 9. pr. ff. de compens. l. 57. pr. ff. de ædit. Ed.

te rem salvam fore stipulatus est, & pubes factus ratam habuerit stipulationem novandi causa, efficit ratihabitio, ut tollatur tutelæ actio, l. 9. pr. ff. de novat. & deleg. XII. Quod quis indebitum pretendere non possit, si contractum falsi procuratoris probaverit, & ex eo aliquid solverit, l. 9. C. de Cond. indeb. XIII. Efficit ratihabitio, ut nascatur actio inter ratum habentem, & eum, cuius actus est ratus habitus.

## III.

Qualis vero actio dabitur ex ratihabitione, si quis ad. *Qualis* probaverit, quod aliis egit, mandati, an negotiorum *actio* gestorum? In multis juris locis conceditur mutua *ex rati-* *gotiorum gestorum actio*, uti in l. 6. §. 9. & 10. l. 9. *habitione* ff. de neg. gest. l. 80. §. 5. & 7. ff. de furt. l. 9. & 19. *nascatur*. C. de neg. gest. l. 3. C. de rei vind. l. 3. C. de Contrah. & comm. stip. quasi ratihabitione tali nihil actum fuisset, neque interesset, utrum rata haberentur gesta nec ne, l. 50. ff. mand. Ex aliis locis concedenda foret actio mandati uti l. 60. de R. J. quum ratihabitio mandato comparetur, & retrotrahatur, uti §. 1. huj. cap. satis probatum. Hinc variae variorum Interpretum opiniones, conciliationes, distinctiones; Putat Voet ad Tit. ff. de neg. gest. n. 14. videndum esse, qua mente ratihabitio interposita sit: si eo animo, ut in mandatum abiret negotiorum gestio, actionem mandati haud denegandam fore, sed si illud defuerit propositum, non aliud competere, quam, quod ab initio natum fuit, negotiorum gestorum judicium. Coccejus in jure controv. L. 3. T. 5. Q. 6. & L. 17. T. 1. Q. 5. videndum putat, qualem formam ab initio habuerit negotium; Pacius Enant. centur. 2. Quest. 53. actionem mandati directam & contrariam concedit, sed distinguit 4 modis; alii iterum aliter, v. J. Gothofr. ad l. 60. ff. de R. J. A. Fab. Ration. ad l. 6. §. 9. ff. de neg. gest. in f. Brunnem ad l. 6. ff. de neg. gest. n. 14. & ad l. 9. Cod. eod. Tim. Fabrum. Disp. anniv. Disp. 5. pr. lit.

## DISSERTATIO JURIDICA

*lit. b. in f. Greg. Lopez Animadu. juris civ. c. 21. tom. 3.  
Thes. Otton p. 492.* Quod ad me attinet, missis aliorum sententiis, puto, si quis ratum habeat, quod alias egit, dari actionem negotiorum gestorum directam ratum habenti, & contrariam ei, cuius actus ratus habetur, uti adparet ex l. 6. §. 10. ff. de neg. gest. & l. 9. ff eod. aliisque locis. Nec mirum, quum is, qui sine mandato nostro egit, sit negotiorum gestor, inter eum autem & dominum locum habet actio negotiorum gestorum; Sed si inspiciamus eventum & effectum, actio mandati etiam competet; nam ratihabitio mandato comparatur, ita ut ratum habens sic obligetur, ac si ab initio rem mandasset, l. 12. §. ult. ff. de solut. l. ult C. ad Sct. Maced. idque satis in §. 1 huj. cap. demonstratum; Unde ratum habens etiam obstringitur mandati actione contraria, l. 6o. ff. de R. J. Sed quum ratum haberis teneatur actione negotiorum gestorum contraria, & propter ratihabitionem etiam mandati contraria actione, sequitur ut negotiorum gestor electionem habeat, utrum dominum mandati an negotiorum gestorum actione convenire velit; nam haec actiones elective concurrunt, non cumulative, quia ad rei persecutionem pertinent, neque idem bis petendum, ita & concurrunt actio pro socio & communi dividendo in l. 38. §. 1. pro soc. & sic fere etiam sentit Huber. ad Tit. ff. de neg. gest. n. ult. & Perezius ad Tit. C. de neg. gest. n. 2. sed an & domino, qui ratum habuit, dabitur directa mandati actio? id affirmat Pacius ιωντιοφ. Cent. 2. Quest. 23. At rectius negari credo, quum nusquam in iure legatur; secundo haec actio famosa est, §. 2. J. de pæn. tem. lit. quales actiones non temere concedenda sunt, ubi praestō sunt aliae, l. 1. §. 4. ff. de dolo. Atque ita rem explicantem audivi Clarissimum Voorda præceptorem meum nunquam satis laudandum, quum in collegio Pandectarum explicaret Titulum de negot. gest. Addit præterea hanc rationem Brunnew. ad. l. 9. C. de neg. gest. n. 3. ideo non dari actionem

nem mandari directam, ne ratum habens suo facto alium nolentem obliget. Denique ex *I. 20. C. fam. erc.* adparere videtur, non dari actionem mandati directam; docetur enim ibi, si coheres rem communem vendidit, alterum pretium petere non posse judicio familie excusanda, sed mandati, si illud præcesserit, vel negotiorum gestorum, si ratam fecerit venditionem.

## I V.

Diximus supra *in pr. huj. cap.* generalem ratihabitionis effectum esse, quod comprobet & confirmet gesta, *Quorsum idque etiamsi male sint gesta;* Quorsum ergo tendet a-  
ctio negotiorum gestorum directa? si ratum habuero, *tiorum gestorum,*  
quod aliis male geslit, an ad reprobanda ea, quæ semel probavi, seu an competit adversus ea, quæ male geslit? *si res male gestorum, Raestra- ta habita.*  
non profecto, sed tantum ad ea repetenda, quæ nomi-  
ne nostro accepit, *I. 9. ff. de neg. gest.* An quoque ne-  
gotiorum gestori isti dabitur actio negotiorum gestorum  
contraria ad repetendos sumtus? dabitur, *d. I. 9. in f.*  
Eritque hoc casu actio negot. gest. in pendentia, donec dominus ratum habuerit, uti contra Pomponium disputat *Scævola in d. I. 9.*

## CAPUT VIII.

*De Ratihabitione nuptiarum.*

## §. I.

**N**uptias sine consensu parentum contractas nullas esse, ita ut nec vir nec uxor nec matrimonium nec dos intelligatur esse, liberosque ex tali conjugione natos pro spuriis haberi, manifestum est ex *pr. 7. & §. 12. de Nupt.* Oritur inde quæstio haud ignobilis (quam, ut singulari capite

capite tractetur, mereri putavimus) dudum inter interpres agitata; si filius vel filia familias sine consensu parentis, in cuius sunt potestate, inierunt nuptias, & parens ille eas postea ratas habeat, an talis ratihabitio effectum habeat retrogradum, ita ut nuptiae ab initio recte initæ intelligantur & proinde liberi interim nati siant legitimi? Plerique, immo fere omnes in ea sunt opinione, quod ratihabitio talem hoc casu effectum non habeat, sed, superveniente patris consensu, nuptias tantum fieri legitimas ex eo die, quo pater eas habuit ratas, & liberos postea susceptos tantummodo justos legitimosque centendos esse; Pauci vero, uti Huber ad Tit. Inst. de nupt. n. 9. in f. & n. 10. & ad Tit. ff. de R. N. n. 5. & Heinerr. ad Vinn. Comm. Inst. I. 1. Tit. 10. pr. n. 6. putant, ratihabitionem vim suam etiam exercere in nuptiis, & liberos ante supervenientem patris consensum natos fieri legitimos; Quorum sententiam, utpote quæ legibus & æquitati magis conformis mihi videtur, amplector, nec deterreor dissentientium multitudine. Fundamentum itaque sententiae nostræ in jure & æquitate positum est, prius ergo ex jure eam probare conabimur, dein ex æquitate. Quod ad jus attinet, ideo per ratihabitionem patris nuptias filiif. retro fieri legitimas puto, quia ratihabitio ejus est naturæ, ut mandato comparetur & retrorahatur ad initium cuiusque actus, eique inde ab initio qualitatem suam imprimat, idque in omnibus, quæ consensu fiunt, etiam in rebus ipso iure nullis, cuius generis censentur nuptiae sine patris consensu initæ, idque satis ostensum cap. præc. §. I. nam ratihabitio est subsecutus consensus, & præcedentem supplet defectum; quid igitur causæ, cur in nuptiis, quæ maxime consensu perficiuntur, idem non sit statuendum? Hinc Huber. d. I. ad T. ff. de R. N. recte tale format argumentum; Quidquid est nullum, fit ab origine validum, si postea acquiescat is, in cuius gratiam lex nullitatem statuit, atqui matrimonium sine patris consensu initum in gratiam patris est nullum; jus enim hoc est patriæ potest.

potestatis, & libere ab ejus arbitrio pendet, ut solent ea, quæ ad favorem pertinent nostrum, *I. pen. C. de paet.* Ergo si recedat pater ab hoc jure suo, tota nullitas in præsens & præteritum evanescet. Sed hæc infringere dissidentes conantur dicendo *I. vim retrogadam ratihabitioni non adeo naturalem esse*, ut ab ea divelli nequeat, uti ex eo adpareat, quod non omnis ratihabitio ante Justiniani constitutionem in *I. 25. C. de don. int. V. & U. & I. ult. C. ad Sct. Maced.* hanc vim habuerit. Respondeo: concedo lubens, non omnem ratihabitionem ante constitutionem Justiniani hanc vim habuisse, sed hoc nihil obstat sententiæ nostræ, sufficit, *Justinianum d. II. constituisse*, ut omnis ratihabitio retrotrahatur; Quæstio itaque tantum supererit, utrum ratihabitio locum habeat in nuptiis nec ne; si enim locum haberet, certe etiam effectum habebit, locum autem eam in nuptiis habere, patet ex *I. 13. pr. ff. de his qui not. inf. II.* dicunt: verum non est, omnia, quæ ipso jure nulla sunt, per ratihabitionem cum effectu confirmari posse, eamque in rem adducunt *I. 4. j. I. 1. §. 1. ff pro donato.* quibus locis traditur, donationem a patre in filium collatam nullam esse, ideoque si pater filio donaverit, eumque exheredaverit, heres autem donationem ratam habuerit, exinde filium usucapturum donationem, qua ex dic heres ratam eam habuerit, ideoque hic ratihabitio in re quæ nulla est, non habere vim retrogradam; Respondeo: concedo, non omnia, quæ ipso jure nulla sunt per ratihabitionem cum effectu confirmari posse, idque ipse ostendi *sup. cap. præc. pr.* argumentum enim, quod ex Hubero attulimus, intelligendum est positis terminis habilibus, nempe omnia, quæ ipso jure nulla sunt, ex defectu consensus vel in gratiam ejus, qui ratum haberet, posse per ratihabitionem cum effectu confirmari; non autem talis donatio nulla est ob defectum consensus vel in gratiam heredis, sed quia per leges improbabatur.

tur. III. dicunt: matrimonium sine consensu parentis initum non est nullum in solius parentis gratiam, sed etiam ob utilitatem publicam, ne adolescentuli rerum imperiti in fraudem illiciti amores furtivos nuptiis conglutinent, coque pacto se in miseras præcipites dent, & familiarum suarum splendorem minuant vel prorsus deleant; Respondeo: Hæc quidem veri speciem quandam habent, non tamen ex jure probantur, id quod hic desideramus; nusquam in jure dicitur, ideo tales nuptias nullas esse; Etsi vero hæc veri speciem habent, non tamen hæc est ratio principalis, cur nuptiæ istæ nullæ sint, sed tantum accessoria; Nuptiæ tales nullæ sunt principaliter in gratiam parentis, uti apparet ex ipso pr. *J. de nupt.* quum ibi dicitur, filiosf. nuptias contrahere non posse, nisi habeant consensum parentum, quorum in potestate sunt, nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet, ubi civilis ratio est patria potestas, naturalis reverentia parentibus debita; his additur in §. 12. ib. si adversus ea aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium nec dos intelligitur; unde manifestum, matrimonium tale nullum esse ob defectum consensus, ideoque respectu & gratia parentis, in cuius potestate liberi sunt. Similiter in alienatione a minore sine decreto facta; hæc enim nulla est principaliter in gratiam minoris, cui tamen accedere potest ratio utilitatis publicæ, ut fraudibus obveniatur, ne minores rerum agendarum adhuc imperiti dolose circumscribantur & bonis suis defraudentur, atque talis alienatio rata potest haberi a minore, cum major factus est, *Tit. Cod. si maj. fact. alien.* quum principalis ratio, cur alienatio illa nulla sit, non constat in utilitate publica, sed in favore minorum. Præterea supra vidimus cap. 4. §. 2. & 3. ratihabitionem omnium maxime locum habere in iis, quæ egit filius, licet ignorantie, imo etiam invito patre, ea egerit; quare igitur & hoc loco non habebit locum. Denique lex §. *C. de nupt.* satis applicari potest ad sententiam nostram

con-

confirmandam, ubi sic habetur: *si pater quondam mariti tui, in cuius fuit potestate, cognitis nuptiis vestris non contradixit, vereri non debes, ne nepotem suum non agnoscat.* Quorsum enim verba *cognitis nuptiis vestris*, nisi ad præteritum tempus respiciant? sensus itaque hujus legis est: si pater mariti, postquam cognoverat nuptias inter vos initas esse, non contradixit, adeoque tacite eas habuit ratas, vereri non debes, ne filium interim natum pro nepote suo non agnoscat. Satis jam probatum puto fundamentum sententiæ nostræ in jure esse positum, jungamus porro ejus æquitatem; nonne enim perdutum & iniquum esset, liberos, quorum nulla est culpa, manere spurious, parentes vero eorum, qui soli sunt in culpa, legitimos fieri conjuges, ideoque eos, qui culpa vacui sunt, manere sub poena, eos vero, quorum sola culpa est, poena sublevari? (poenam enim hic vocare liceat id, quod contra tales conjuges & liberos constitutum est, nempe quod matrimonium illud sit nullum, & nec vir nec uxor nec dos intelligatur, §. 12. *J. de nupt.* & liberi ex tali coniunctione nati spurii habeantur, d. §. 12. quales levis notæ macula laborant, arg. 1. 3. §. 2. ff. *de Decur. Theoph.* in §. 1. *J. de inoff. test.* arg. 1. 5. C. ad *SCT. Orfīc.*) Hoc durum & iniquum esse ipsi dissentientes *Brouwer in Tract. de jure connub.* l. 1. c. 7. n. 21. in f. & *Hoppius in comment. ad pr. J. de nupt.* agnoscere coguntur. Sed haec sufficient ad stabilendam sententiam nostram; superest ut videamus, quid tot dissentientes permoverit ad contrariam defendendam sententiam. Quidam eorum primo nobis objiciunt *legem* 13. *pr. ff. de his qui not. inf.* Ubi queritur, utrum pater notetur infamia, qui filium uxorem ducere viduam intra annum luctus non est passus, sed postquam eam duxerit filius, nuptias ratas habuit, puta ignoravit initio pater, illam esse viduam adhuc lugentem, postea scivit; respondet *Jctus patrem non notari, hac ratione, prætor enim ad initium nuptiarum se retulit.* Hinc adparere

## DISSERTATIO JURIDICA

dicunt ratihabitionem in nuptiis non retrotrahi, quia pater, qui ab initio sciens patitur filium uxorem ducere viduam adhuc lugentem, fiat infamis, l. 11. §. ult. ff. eod. ratus vero habens tales nuptias non notatur infamia, sequitur itaque, ut ratum habens non sit *co loco*, ac si sciens ab initio contrahit passus esset, ac proinde in d. l. 13. negetur, ratihabitionem vites suas retro excerere ad initium nuptiarum. Respondeo, id non recte colligi ex hoc textu, (uti & quidam dissentientium ipsi fatentur) nam quæ ibi traduntur pertinent tantum ad interpretationem edicti prætorii de infamia, quo edicto, (ut ipse JCtus ait) prætor se retulit ad initium nuptiarum, hoc est, cum solum notavit infamia, qui ab initio sciens, mulierem necdum eluxisse maritum, passus est uxorem eam a filio suo duci; Itaque non agitur ibi de vi retrograda ratihabitionis in nuptiis. II. quidam opponunt legem 11. ff. de stat. hom. sed prudentiores dissentientium ipsi fatentur, eam ad rem nihil pertinere, utpote agentem de casu, quo pater mulieris nuptæ deceperit, priusquam ejus nuptias habuisset ratus, quoque proinde ne interpolita quidem fuit ratihabitio. III. quidam objiciunt legem 18. ff. de R. N. Sed rursus alii fatentur ipsi, eam non agere de ratihabitione, sed de renovandis nuptiis inter easdem personas, quarum matrimonium divortio pridem erat diremptum. IV. objiciunt legem 65. §. 1. ff. eod. quam confirmet lex 6. C. de nupt. ubi agitur de nuptiis inter præsidem & feminam provincialem contra leges initis, dicitque JCtus, post depositum officium, si in eadem voluntate perseverat, justas nuptias effici, & liberos postea natos solummodo esse legitimos; hinc adparere dicunt, nuptias nullas, si postea ratæ habentur, ex eo demum tempore justas intelligi, ex quo ratæ sunt habitæ; Resp. i. agimus hic de ratihabitione nuptiarum, quæ propter defectum consensus erant nullæ, in hac autem l. 65. agitur de nuptiis non ob defectum consensus nullis, sed propter vitium, quod vi legis inhæret per-

personæ, cum qua initum est matrimonium (præsidem enim non posse uxorem ducere mulierem provincialem, notum est). 2. Hæ nuptiæ inter præsidem & mulierem provincialem non erant nullæ in gratiam contrahentium, sed ob rationem civilem, scilicet potentatus, l. 63. ff. de R. N. l. un. C. si rect. provinc. vel ad eum pert. ideoque consensus eorum postea interpositus non poterat retrotrahi ad initium, & res eo loco haberi, ac si conjugium illud ab initio valueret, supra enim ostendimus, ratihabitionem eorum, quæ ipse quis egit, non procedere, nisi in iis, quæ in gratiam ratum habentis erant invalida, adde Z. Huber. in *Dissert. ad l. 63. ff. de R. N. c. 2. §. ult.* V. dicunt: Ratihabitio tum non habet locum, cum consensus ad facultatem contrahendi alicui tribuendam seu ad integrandam contrahentis personam pro forma juris desideratur, l. 25. §. 4. ff. de acq. vel om. hered. atqui auctoritas pro forma juris necessaria est, ut consequatur filius. potestatem contrahendi nuptias; Resp. 1. nego minorem; non enim auctoritas patris in nuptiis necessaria est pro forma juris, sed tantum in gratiam parentis, in cuius potestate est filius. 2. non amplius obtinet ex decisione Justiniani in l. 25. C. de don. int. V. & U. distinctio illa inter res juris & facti, uti sup. cap. 2. §. 1. vidimus. VI. dicunt: Ratihabitio vim retrogradam habet in iis, quæ sunt in pendent, non quæ nulla sunt, atqui nuptiæ sine patris consensu initæ ipso jure nullæ sunt, §. 12. f. de nupt. l. 68. ff. de jure dot. Resp. ad majorem; velim mihi probari hanc distinctionem; falsam eam esse cap. præc. §. 1. satis ostendimus; Præterea, quid si dixerim, nuptias tales non esse ipso jure nullas, sed in pendent? (a) VII. opponit Wffembach. Disp. 6. ad Inst. Thes. 21.

(a) Miror vero Brouwerum tract. de jure Conub. l. 1. c. 7. n. 23. qui hanc distinctionem inter res, quæ sunt in pendi-

## DISSERTATIO JURIDICA I

regulam de ratihabitione tantum in contractibus valere, nuptiæ autem non sunt contractus; sed fallitur; nam donatio an contractus est? id ipse negat, in ea tamen regula de ratihabitione observatur, *I. 25. C. de don. int. V. & U.* Similiter an petitio seu agnitus bonorum possessio-  
nis est contractus? in qua etiam locum habet regula. VIII. opponunt *legem 13. §. 6. ff. ad I. Jul. de Adult.* in qua docetur, si filia f. quæ sine patris consensu nuptias contraxit, & mox adulterium commisit, ejus rei nomi-  
ne a marito qua marito & jure mariti, accusari adulterii non posse, si pater illas nuptias postea habuerit ratas, idque hac ratione, quia ei nupta non fuit, cum commit-  
teret adulterium; Hinc adparere dicunt, ratihabitionem paternam minime vim eam habere, ut matrimonium fi-  
liæ ab initio reddat legitimum, eique, cui hæc sine consensu patris se junxerat, retro tribuat jura mariti.  
Respondeo: casus hic singularis est, quo ratihabitio vim suam non exserit, ex quo argumentari generaliter non possumus, ratihabitionem quod ad cetera non habe-  
re effectum in nuptiis, ideo enim ratihabitio non tri-  
buit retro jura marito, nec efficit, ut maritus uxori adulterii accusare possit, quia adulterii accusa-  
tio non competit, nisi revera commissum fuerit adulterium, id autem revera hoc casu commissum non fuit, durum autem & iniquum esset hoc casu per  
rati-

---

denti & quæ nullæ sunt, adhibet *n. 22.* docere, si pater ratas habet nuptias, necesse non esse, ut nova constituantur sponsalia novæque contrahantur nuptiæ, sed legitimas fieri eo ipso momento, quo patris accedit consensus, nec ullo alio indigere auxilio, ut subsistant, *ex I. 68. ff. de jure dot. arg. I. 4. & I. 27. ff. de R. N.* nonne enim ex iis potius adparet, nuptias non fuisse nullas, sed in pendent? si enim omnino & in totum nullæ essent, nonne omnia de novo forent redintegranda? Ideoque quodammodo contra se argumentari videtur *Bronwerus.*

ratihabitionem singi & effici, ut mulier commiserit ad-  
uterium, quod revera non commisit; atque *Lex* 13.  
in materia versatur poenali & odiosa, quæ semper re-  
stringitur; nos in favorabili, quæ facile extensionem re-  
cipit. IX. & ultimo objiciunt *pr. Inst. de nupt.* quo lo-  
co Imperator filio f. in contrahendis nuptiis per rationem  
civilem naturalemque indigere dicit consensu parentum,  
quorum in potestate sunt, *in tantum ut jussus parentis*  
*præcedere debeat*; Hinc consequi inquiunt, ut nuptiæ,  
quas non præcessit consensus patris, sint illegitimæ,  
proinde ut nuptiæ, quas pater ex intervallo rata habuit,  
legitimæ demum fiant, ex quo consensit pater, non re-  
tro ab initio, nam ratihabitione post tempus aliquod  
superveniente, jussus non præcessit istius conjunctionis  
initium, ideoque dicunt hic exceptionem proponi ab eo,  
quod *in l. 25. C. de don. int. V. & U. & l. ult. C. ad*  
*SCT. Maced.* traditur, nempe omnem ratihabitionem ad  
initium suum retrotrahi. Vis itaque hujus argumenti in  
eo consistit, quod dicatur *præcedere debere parentis con-*  
*sensus*, (verbum enim jussus hic cum effectu non adhi-  
beri, sed simplicem significare consensum, ipsi probant  
dissidentes ex eo, quod verbis *consensus* & *jussus* pro-  
miscue hic utatur *Justinianus*, & quod tacitus iufficiat  
*consensus*, *I. 7. §. 1 ff. de sponsal.*) Respondeo: (1.) hæc  
verba *in tantum ut jussus* (i. e. *consensus*) *præcedere debeat*,  
ea mente non sunt lcripta, neque requisitum ita necessari-  
rium inducunt, ut ratihabitionem excludant; pertinent  
enim solummodo ad clariorem verborum *præcedentium*  
interpretationem, quum ex ipsa rei natura fluat, ut con-  
sensus *præcedere debeat*, nam ex eo, quod Imperator do-  
cet, nuptias sine consensu patris iniri non posse, easque  
non valere, si is consensus non adfuerit, sponte & na-  
tura sua sequitur, quod consensus *præcedere debeat*, ut  
valeant nuptiæ, id tamen nihil oblitabit, quo minus lo-  
cum ratihabito habeat; earique esse Justiniani mentem  
adparet, quod dicat, naturalem & civilem rationem sua-  
dere

## DISSERTATIO JURIDICA

adere, ut consensus præcedat: quid enim, an naturalis ratio suadet, ut ratihabitio non habeat locum in nuptiis? monet quidem naturalis ratio, liberos in contrahendis nuptiis propter reverentiam parentibus debitam eorum consensum prius explorare debere, non tamen prohibet, ratihabitionem cum effectu interponi posse a parentibus, si prius consentire noluerint. Simili modo obtinet in actione quod iussu, qua convenitur pater, cuius iussu negotium a filio gestum est, §. 1. *J. quod cum eo qui in al. pot. nam ex rei natura requiritur, ut iussus patris præcedat, sufficit tamen ratihabitio, l. 1. §. 6. ff. quod iussu.* Sic quoque in mutuo a filios. contracto ex rei natura requiritur, ut id contraxerit filius ex præcedente patris voluntate; sufficit tamen ratihabitio, *l. ult. C. ad SCt. Maced.* Sic denique in mandato; mandatum enim ejus est naturæ, ut præcedat, ratihabitio tamen erit pro mandato, uti cap. præc. vid. (2.) quare ratihabitio per hæc verba excluderetur: nonne eniai interposita efficiet, ut consensus præcessisse videatur? nonne hæc potestas ratihabitioni ex iure competit, ut singatur consensus ab initio interpositus fuisse? Adparet itaque his verbis *iussus præcedere debet*, non tradi exceptionem a regula in *l. 25. C. de don. int. V. & U. & l. ult. C. ad SCt. Maced.* proposita; Nec verosimile mihi videtur, Justinianum in Institutionibus voluisse exceptionem proponere a constitutione sua in Codice. Sed satis de hac quæstione, quam cum Hubero & Heinuccio explicavimus; Dissentunt plurimi, ex quibus v. Merill. *Exposit. in 50. Decis. Iust. n. 2. Coccej. in jure contr. ad T. ff. de R. N. Quæst. 3. Struvium in Evolut. Controv. Exerc. 29. Th. 23. Vinnium ad pr. J. de nupt. Voet ad T. ff. de R. N. n. 3. Brouwer de jure Connub. l. 1. c. 7. n. 21. & sq. Bacchov. ad Treutl. vol. 2. Disp. 6. Th. Lit. c. Tim. Fabrum Disp. anniv. 5. Th. 8. Hoppium ad pr. J. de nupt. Id adhuc addendum ex hypothesi, qua supra statuimus, ratihabitionem non procedere in præjudicium juris tertio jam quæsiti, quod nem-*

pe

pe ratihabitio patris nuptias filiis. in tantum reddat legitimas, in quantum tertio nullum jus ante ratihabitionem jam natum fuit; Finge V. Gr. Titium testamento ab herede legasse Mævio centum sub conditione, si tempore mortis sua legitimam haberet uxorem, sed Mævium sine consensu patris, in matrimonio, tempore aperti testamenti, habuisse eam, quam patre consentiente justam uxorem habuisse poterat, tandem vero pater se exorari finit, & ratus habet nuptias; hoc casu liberos equidem interim natos legitimos fore judico, legatum tamen illud non deberi, sed apud heredem manere, quippe cui, conditio ne testamento expressa existente, jus statim natum fuit non solvendi legati.

## CAPUT IX.

*De Retractatione.*

## §. I.

**Q**uum ratihabitioni contraria sit *retractatio*, de ea quo- *Quid sit que paucis videndum.* Deducitur hoc verbum a *Retracta-* *voce retractare*, quæ non ejusdem semper signifi- *re & Re-* *cationis est*, modo enim significat *revocare*, *reprobare*, *tractatio-* *uti in l. 39. §. ult. ff. de proc. & def. l. 4. C. de usuc.* *pro emt. l. 1. in f. C. de revoc. don.* modo *iterum tractare*, *uti in l. 31. in f. ff. de jurej. l. 29. pr. ff. de jurefisci.* mo- *do alia significatione venit*, uti docent *Lexica*; Ita & a- *pud alios scriptores varie hanc vocem usurpari v. ap. Gro-* *nov. & Drakenb. ad Liv. l. 3. c. 49. §. 1.* Hoc vero lo- *co significabit revocare, reprobare, ideoque non ratum* *habere.* Erit igitur *Retractatio, revocatio, reprobatio, ne-* *gata ratihabitio eorum, qua acta sunt.*

## I I.

*Eius di-*  
*vizio.* Ut autem ratihabitio est expressa vel tacita , sic quoque *Retractatio* vel expresse fit , quum nempe quis verbis expressis animum retractandi declarat , vel tacite , quum ex actis animus retractandi adparet ; unde in l. 12. §. ult. ff. *rat. rem hab. dicitur : qualiter quis eundem actum retrahet , qui a procuratore actus est , committi stipulationem oportet.* Hinc tacite fit *Retractatio* ejus , quod egit falsus procurator , si dominus ipse rem petit , vel compensatione utitur , uti additur in d. l. 12 §. ult. Sic quoque , si falsus procurator unum ex duobus reis convenerit , & promiserit , rem ratam dominum habiturum , dominus autem ipse petat ab eo , qui ejusdem obligationis socius est , tacite fit *Retractatio* , l. 1. l. 14 ff. eod. per id enim , quod , ipse dominus petit a correto , declarat animum non ratum habendi , ideoque *stipulatio de rato* dicitur committi. Sic quoque , si procurator exegit a reo , dominus autem fidejusorem convenit , d. l. 1. Item si procurator petit hereditatem , dominus autem fundum ex ea hereditate petit , l. 22. §. 8 ff. eod. Item si minor major factus restitucionem petit contra id , quod in minorenitate geslit , l. 3. §. 1. ff. *de min. arg. l. 1. & 2. C. si maj. fact. rat. hab.* Alia hujus tacitae *Retractionis* exempla colligi possunt ex l. 8. §. 1. l. 16. §. 1 ff. *rat. rem hab. l. 40. §. 2 ff. de proc. & def. l. 13. pr & §. 1 ff. de op. novi nunc.* Ut autem effectum habeat haec *retractatio* , necesse est , ut retractans sciverit actum ; alioquin enim non adparebit animus retractandi , trii patet ex l. 71. §. 2. & 3. ff. *de solut.*

Præterea uti ratihabitio est universalis vel particularis , sic quoque *Retractatio* fieri vel in totum , cum totus actus reprobatur , vel pro parte , si pars tantum , idque satis

ma-

manifestum ex eo, quod ratihabitio vel in totum vel pro parte possit interponi; si quis enim pro parte actum ratum habet, sequitur, ut pro ea parte, qua non ratum habet, eundem retractet, v. sup. c. 2. §. 4. Quod vero semel quis ratum habuit, id iterum retractare nequit, l. 4. C. de usuc. pro emt.

## III.

Effectus *Retractionis* ratione ejus, qui actum retractat, *Ejus effectus.*  
est, quod actus ei non præjudicet, & res eo loco habe-  
atur, ac si nihil actum esset; hinc dominus petere & com-  
pensare adhuc potest, quod falsus procurator petiit, l.  
12. §. ult. ff. rat. rem hab. l. 22. pr. ff. eod. Inde subla-  
ta quoque dicitur actio negotiorum gestorum, si quis  
ratum non habet, quod negotiorum gestor a debitori-  
bus ejus accepit in l. 62. in f. ff. de solut. Ratione vero  
ejus, cuius actus retractatur, effectus est varius pro varia  
actus natura; vel enim interposuit cautionem de rato  
vel non, si eam interposuit, & dominus non ratum ha-  
bet, tenetur actione ex stipulatu, (a) si non interpoluit,  
conditione, l. ult. in f. ff. rat. rem hab. l. 22. pr. eod.  
Condictio autem illa est conditio ob causam dati causa  
non secura, sive debitum sive indebitum ei solutum sit, l.  
14. ff. de cond. c. d. c. n. f. vel conditio indebiti, l. 6. §. 1. &  
2. ff. de cond. ind. l. 8. C. eod. l. 22. pr. ff. rat. rem hab.  
vel etiam conditio furtiva, d. l. 14. l. 80. §. 5. ff. de furt.  
si nempe nomine veri procuratoris, quem dominus ha-  
buit, adsumto, debitorem alienum circumvenerit, d. l.  
80. §. 6. adde Cujac. Tr. 6. ad Afric. ad l. ult. §. 1. ff.  
rat. rem hab. Puto autem, si stipulatio de rato interve-  
nit, ideoque actio ex stipulatu ad interesse competit,

H 2

con-

(a) Competit illa actio ex stipulatu ad interesse, v. l. 8.  
§. ult. l. 13. l. 19. ff. rat. rem hab.

conditionem a debitore adhuc eligi posse; competit enim illa ab initio, antequam stipulatio interposita sit, idque confirmari videtur *lege* 58. pr. & §. 1. ff. de *solut.* in qua conditio datur ei, qui falso creditoris non ratum habentis procuratori solvit, ubi tamen stipulatio de rato intercessisse videtur. Quod si quis pro me solvit, quod non debebam, idque non ratum habeam, repetere potest, quod solvit, l. 7. pr. ff. de *calum.* l. 6. pr. ff. de *cond. ind.*

T A N T U M.



# THESES.

I.

*Definitionem juris naturæ, quam dat Ulpianus in l. 1.  
§. 3. ff. de just. & jure, Ex eo Imperator in pr. J.  
de J. N. G. & C. minime ut veram justamque agno-  
scimus.*

II.

*Autophoniam jure quidem naturali & divino est illicita,  
non tamen jure civili Romano fuit punita.*

III.

*Lex 12. Tabb. cuius meminit Gellius N. A. L. 20. c. 1.  
prope fin. non de inhumana corporis sectione, sed de  
operis & ministeriis addicti debitoris vel venditi  
pretio inter credidores dividendis intelligenda est.*

IV.

*Ratibabitio patris nuptias filiif. facit retro legitimas.*

V.

*Ratibabitio non procedit in his, quæ egit falsus pro-  
curator, pro quo sententia lata est.*

VI.

*Errat A. Faber in Ration. dum in l. 1. §. 6. ff. quod  
jussu. pro in eos legendum putat non.*

*Non*

2 9 8 VII. H T

*Non dantur actiones ab origine ita mixta, ut simul sint  
in rem & personam.*

VIII.

*Ad constituendum debitorem in mora sufficit unica in-  
terpellatio.*

I X.

*Qui sciens rem alienam emit, et pretium ejus solvit, il-  
lud repetere posse non videtur.*

X.

*Consobrinorum nuptiae jure Justinianeo sunt permissa.*

X I.

*Ex pacto nudo agi non potest.*

X II.

*Neque pacta jure novo stipulationibus sunt exæquata.*

X V

*Non est actio in rem in causa quædam quæ non  
potest esse in causa quædam.*

*Præstantissimo atque Eruditissimo*  
VIRO JUVENI  
**GISBERTO REITZIO,**

*Quum, habita publice disputatione de ratihabitione,  
Juris Utriusque Doctor designaretur.*

**P**ropositam in ludis primum contingere metam  
Romana quondam gloria in urbe fuit :  
Quumque superba ferox intraret mænia victor,  
Cingebant clarum laurea serta caput ;  
Hostibus a fusis redcunti magna triumphi  
Sanguine quaestii pompa parata fuit.  
At Quid prisorum ritus memorare Quiritum  
Refert? Heroum vel didicisse decus?  
Nostra quidem potius perquirere tempora malim,  
Et quid concedat casta Minerva suis.  
Hujus enim victor castris quicunque revertit,  
Perpetua hunc lauro munerat alma Dea.  
Ante oculos **GISBERTE** tuos sine fine gerebas  
Præmia, quæ fuerat carpere propositum.  
A pueris, comperta loquor, generosus honesti  
Inflammavit amor pectora tota tibi,  
Ex quo gymnasii stadium decurrimus ambo,  
Juncta que sunt stabili pectora nostra fide;  
Tum memini ut socios celeri prævertere cursu  
Suēris ante alios præmia crebra ferens :  
Indeque quum nobis collegia docta virorum  
Vifere clarorum maximus ardor erat :

Hic

Hic quoque monstrasti, comitum plaudente corona,  
Fertilis ingenii prospera signa tui.  
Et quantum soilers operosa volumina legum  
Versatis cupida nocte dieque manu.  
Sic video justum tandem te ferre triumphum,  
Dum cingit meritum laurus opaca caput:  
En hilares adsunt Docti patresque togati,  
Munera qui donent Palladis ampla Tibi.  
Præ reliquis vero profitetur gaudia justa  
Doctrina præstans ingenioque pater;  
Quum gnatum de stirpe sua nunc spectat ovantem,  
Debita quum studio praemia ferre videt.  
Omnia me stimulant cytharam jam sumere blandam,  
Gaudiaque exiguis ludere magna modis.  
Insuper id poscunt clari benefacta parentis,  
Pectore quæ memori me retinere decet.  
Delius hic utinam mihi se præbere faventem  
Velle, & argutum suppeditare melos!  
Illiū ut possim meritas intexere laudes,  
Ac Reitzī curam commemorare patris;  
At quid vana precor? quid Phœbi numina posco?  
Non mea grandisonis barbitos apta modis.  
Nec fas est nimium blandis nos vocibus uti,  
His igitur missis, candida vota dabo.  
Succedat fauste quidquid suscepéris unquam!  
Sit non mortalis gloria, fama, salus!  
Dira nec ô utinam Nemesis tua gaudia turbet!  
Orbatis tutor, sis viduisque pater!  
Nestoriosque diu tranquillus vive per annos!  
Sis memor æternum, Dulcis amice, mei!

*Hec amicitiae ergo posuit*

N. K I E N, Junior.

HONORI ET. MERITIS.  
PRAESTANTISSIMI. IUVENIS.  
**G I S B E R T I. R E I T Z I I.**  
AMICI. CONIVNCTISSIMI.  
*JGtorum Ordini sollemniter adscripti.*

**I**lla dies niveis tandem est advecta quadrigis,  
Illa dies Clario sacra futura choro:  
**Q**ua sua Reitziades pro doctis praemia curis,  
Justitiae intacta Praeside dante, feret.  
**S**urgite Pierii, divina caterva, Poëtae,  
Atque Aganippeo fonte levate sitim!  
**T**u quoque, si caros quondam cecinisse sodales  
Non piget, ô numeros conde, Thalia, novos!  
Nam licet Aoniis non sis nutrita sub antris,  
Nec tibi Pegaseum dictet Apollo melos:  
**E**sse tamen summum (pietas nam carmina poscit)  
Reitziaden credas conticuisse scelus.  
**E**cce pater puro tollit de gurgite Rhenus,  
**L**aetitiâ vultus condecorante, caput.

!

Tollit

Tollit, & ad socias, fluvialia Numinis, Nymphas  
Exultans animis talia verba facit:  
Nos Phoebi sedes, nos doctis sacra Camenis  
Ad nova, Trajectum, festa videnda vocat.  
Pergite Rhenanas, ò caerula turba, per undas,  
Et premat ornatas picta corolla comas.  
Si juvet in festi vobis inquirere caussam,  
Reitziades Themidis mysta creandus erit:  
Reitziades toties nostras testudine mentes  
Qui rapuit, fluctus definuitque meos.  
Dixerat: & variis Nymphae se floribus ornant,  
Quos felix placidae margo ministrat aquae.  
Vix bene tangebant, quin clamant Naïdes, urbem;  
Trajectum egregiis conspicienda viris!  
Additur in titulos tibi Reitzius, hoc tibi crescat  
Nomine in immensum gloria, crescat honos.  
Haec & plura bonis cumulabant prospera votis  
Reitziadae optantes tempora fausta suo.  
Scilicet ò nostri splendor, Gisberte, Lycei,  
Gloria mox patriae summa futura tuae!

Una

Una tibi primos pectus mollire per annos  
Artibus ingenuis cura laborque fuit.  
Diceris & parvus (prohibet quid vera fateri?)  
Gaudia Cecropiae magna fuisse Deae.  
Jam puero veram monstravit fida Parentis,  
Ad iuga Parnasi splendida, dextra viam.  
Haec etiam Ausonias pucrum deduxit in oras,  
Hac duce pressa tibi terra Pelasga fuit.  
Nec minor ardor erat sacrata volumina Juris  
Versare adsidua, nocte dieque, manu.  
Pergamei teneat (sic dicere saepe solebas)  
Fraternos animos ars operosa Dei:  
At me Romulidum capiant moderamina legum,  
Me capiant docti verba diserta fori.  
Promta salutiferos dum fratrum dextera sucos  
Misceat, atque aegris pocula mista ferat;  
Ille ego tentabo, scelerata calumnia, fortis  
Auxilio miseros rite levare reos.  
Nec tua nequidquam Themidi est operata juventus  
Ipsa etenim studiis adfuit alma tuis.

I 2

Nunc

Nunc etiam meritâ circumdat tempora lauru,  
Dum jubet inceptam pergere, Diva, viam,  
Inserit & sanctos inter tua nomina mystas,  
Ut vivant doctis semper in ore viris.  
Praemia sic duri cernis, Gisberte, laboris,  
Cernis & eloquio parta tropaea tuo.  
Hos tibi (si quid id est) socii gratamur honores,  
Plaudimus & laetâ longa caterva manu.  
Nunc quoque ab Idaliis utinam tibi rideat oris  
Blanda Venus, vacuum nec sinat esse torum!  
Sic tu, quae recreent defessam dulcia mentem,  
Oscula de tenerae conjugis ore legas!  
Fortia sic triplices ducant tibi fila sorores!  
Sic faveant coeptis Numina dextra tuis!  
Sic tua Pierias clarescere fama per artes  
Pergat, & Aonio sis decus usque choro!  
Reitzia gens tersos sic proferat usque Poëtas,  
Tollat & eximum celsa per astra caput!

C. A. V. WACHENDORFF.

J. V. St.

**IN NOBILISSIMUM**  
& honore quo ornatus est dignissimum  
**STI VIRUM JUVENEM 210**  
**GISBERTUM REITZIUM,**  
**EPIGRAMMA.**

**C**um te, Mi Reitzi, dignum mactavit honore  
Alma Themis, justam quis neget esse Deam?  
Sæpe tamen cœca est, quod lauro cingat eadem  
Tempora multorum qui meruere nihil.  
Quid favor aut plausus? Ni clara exempla fecutus  
Hunc bene sis meritus, qui tibi cessit honos.

**J. V. D. V.**

**TER**

KRISTEN INHULDINGE  
van den Weled. H E E R E  
G I S B E R T U S R E I T Z,  
*toen zyn Ed. plechtig tot Meester der beide  
Rechten bevorderd werd.*

**W**iens geest door 't edel vuur van weetlust is ontsteken;  
Word nimmer afgeschrikt door vrees, nog fier geweld,  
Al moest hy door een zee van rampen hene breken,  
De weetlust spoort hem aan te stryden als een held.  
Geen dart'le wellust kan zyn ted're ziel bekoren!  
Hy streeft naar 't geen de tyd, nog bitse nyd verslind,  
Schoon ze al haar pylen schiet, 't is moeite slechts verloren,  
Naar wysheid, daar zyn ziel alleen vermaak in vind!  
Naar wysheid, die zyn naam voor eeuwig zal doen lezen  
Waar deugd en wetenschap haar zetel heeft gesteld,  
Een naam, die nog voor doot, nog graf behoeft te vrezen,  
Die als verwinnaar leeft, schoon 't lichaam is geveld.  
Dus zoekt gy, waarde vriend, door weetlustvuur gedreven  
Al van uw' eerste jeugd den schat, die nooit vergaat,  
Maar die onsterfyk maakt hem, daar ze aan is gegeven,  
En blyft zolang de Zon aan 's hemelsbogen staat.  
Met wat een noeste vlyt hebt gy uw' tyd gesleten?  
Met welk een glans bestraalt gy niet ons Stichts Atheen?  
Was 't niet uw ziels vermaak 's rechts dieptens afmeten,  
't Ontvouwen door uw' geest, 't geen u 't ontvouwen scheen?

Zie

Zie daar dan nu de kroon der brave letterhelden,  
Met zoveel zweet behaald, van Themis U vereert!  
Zie daar den waren roem, door 't nageslacht te melden,  
Een roem, die wysheit schat naar zynen prys waardeert!  
Streef voort op 't edel spoor van Themis voedsterlingen,  
Zoek verder Rome's recht, en zyn verborgenheen,  
Al wilde dan 't gedrocht van wangunst U bespringen  
Zy zal haar domme kracht op U vergeefs besteeën,  
Zoo leeft gy tot een steun van hun, die 't recht ontbeeren,  
Zo word gy staag gevoed door roem, die hooit vergaat,  
Zoo ziet men weeuw en wees haar toevlucht tot U kerent,  
Door onrecht gantsch verdrukt, gy zyt haar toeverlaat.  
Zoo zyt gy waardiglyk uit zulk een stam gesproten,  
Wiens held're glans nog steets ons Bisshops stad bestraalt,  
Ja die men teikens ziet door nyvre vlyt vergroten,  
Die, schoon door nyd verzeld, verdienden prys behaalt.

M. VAN DEN BERGH,

Litt. & Jur. Stud.

# K L I N K - D I C H T

ter eere van den HEER

## G Y S B E R T U S R E I T Z,

*Ingewydt tot Meester der beide Rechten.*

**O**wat genoegen koomt thans myne ziel bevangen,  
Nu gy,, ô waarde Neef, roemruchtig d'cerckroon,  
Die voor U aan het end van 't strydperk was gehangen  
Naa zoo veel worsteling gekregen hebt ten loon.

ô Roem der jong'lingschaar, ô Themis dierb're zoon;  
Zoo word dan uwē hoop, uw uitgestrekt verlangen  
Vervuld, wel aan, laat toe, dat ik myn plicht betoon,  
Wil uit een vriendenhart decz' liefde wensch ontfangen.

Leef lang GYSBERTUS, leef tot steun, tot toeverlaat  
Van weduwen, van wees, voor rechtbank in den Raad;  
Jaa, is het toegestaan hier noch iets by te voegen;  
Dan valle U haast ten deel een overschoone maagd,  
Die 't onvervallschde merk van eed'le deugden draagt;  
En leef met haar veréend in een volmaakt genoegen.